

Call. 1141

De Justificatione Hominis

Peccatoris coram DEO

DISPUTATIO DUODECIMA,

Qua

Opposita Septimo nostro Ar-
gumento, Inductio Pontificiorum, ab ex-
emplis Abrahami & Rahabis, ex cap. 2.

Jacobi sumtis, deducta
discutitur,

CUM DEO

Ad diem 4. Novembr. publicè habenda.

ab

HEINRICO HÖPFFNERO,

SS. Theol. D. ac Prof. Publico, & Fa-
cult. Theol. Seniore,

RESPONDENTE

M. GOTFRIDO SLUTERO,

SS. Theol. Baccalaureo, & Philoso-
phicæ Facult. Assessore.

LIPSIAE,

Impensis Haeredum Schüreri & Matthiae Götzi.

Excusa per GREGORIUM Nisch/

ANNO MDCCXXI.

JMd 116



PROTO-SYNEDRI ELECTO-
RALIS SAXONICI

PRÆSIDI eminentissimo,

Generoso ac Magnifico DOMINO

FRIDERICO METZSCH in Reichenbach
& Griesen / Sereniss. Dn. ELECTORI Saxon. à Consiliis
intimis, & hactenus ad Sacri Romani Imperii Comitiam, tam No-
ribergam, quam Ratisbonam; nunc verò ad Invictiss. Imperatoris
Aulam, LEGATO primario, atque sic Legatione De-
cima-quarta fungenti.

Ut & ejusdem

DOMINIS ASSESSORIBUS

Reverendissimo, Magnifico & Nobilissimo Domino,

MATTHIÆ HOE ab Hoënegg,
in Lungwitz & Gönedorff Hære-
ditario, Theologorum Principi, Comi-
ti Palatino Cæsareæ Majestatis splendidissimo,
nec non Sereniss. Dn. Electori Saxon. à Con-
cionibus Aulicis primariis, Confessionibus
sacris & Consiliis Ecclesiasticis, &c.

Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo VIRO

DN. D. FRIDERICO TUNTZELIO, Jcto Celeberrimo & Sere-
niss. Dn. Electoris Saxon. in Judicio
Appellationum, rebusq; Camera Imperialem
concernentibus Consiliario gra-
vissimo.

*Plurimum Reverendo, Amplissimo
atq; Excellentissimo VIRO.*

DN. D. ÆGIDIO STRAU-
CHIO, Theologo præclaris-
simo, Ecclesiæ Dresdenensis & vi-
cinarum Superintendententi
meritissimo.

*Amplissimo, Consultissimo & Ex-
cellentissimo VIRO,*

DN. D. JOHANNI LUDO-
VICO KOPPELIO, Jcto no-
minatissimo, & Sereniss. Dn.
Electoris Saxon. Consilia-
rio fidelissimo.

Dominis Patronis Opt. Maximis

*banc disputationem submissa observan-
tia offert*

M. GOTFRIDUS SLUTERUS.

CUM DEO!
P R O O E M I U M.

Dostquam jam satis percepimus,
quidnam Pontificii nominent pri-
mam, quid secundam justificatio-
nem, & quomodo utramq; discrimi-
nent, restat, ut jam ipsa exempla,
quæ afferunt ad hoc suum dogma adstruendum &
illustrandum accuratius contemplemur.

2. Exempla namque, si vera sint & rectè propo-
sitæ rei accommodentur, mirum in modum afficiunt,
& sunt quasi viva quædam doctrina atq; ὄμνηγοι τῶν
λόγων, id est, vades & sponsores sermonis, ut lo-
quitur Plato in Theateto non procul à fine, pag. 147.
edit. Francofurt. de anno 1602.

3. Falla verò vel à proposito aliena exempla
incautam mentem frustrantur, & nihil aliud effici-
unt, quàm Pseudographemata, i. e. apateticas in-
ductiones, didascalicas seu demonstrativas oppositas.

4. Urgent autem Papistæ in hâc controversiâ in-
primis exemplum Abrahami & Rahabis, quæ in
Epist. Jacobi cap. 2. proponuntur.

5. Existimant enim in hâc Epistolâ, tanquam in
propriâ sede reperire se, quod afferunt de justifica-
tione secundâ, quæ coram DEO fieri dicunt per
opera, illiusq; à primâ tenendo discrimine.

6. Quare interpretationes Pontificias illius ca-
pitis secundi ad amussim veritatis cœlestis revoca-
bimus,

bimus, vindicaturi textum Jacobi à corruptelis Pontificiis, & ostensuri peruersum sensum, quem verbis Apostoli affingunt.

7. A Jacobo enim exempla Abrahami & Rahabibis afferuntur, non quatenus coram DEO fit justificatio per fidem internam illam, quæ est fiducia- lis apprehensio rei justificæ, sed quatenus per fidem externam simul & opera sese exercit & ostendit.

8. Malè itaq; torquent hæc exempla ad justificationem, ut coram DEO fit, cum oblatio Isaacis longè fuerit posterior ipsa fidei Abrahami imputatione, ad justitiam, & Rahabis quoq; hospitalitas sit exemplum fidei, prout operosa est per caritatem, non autem, prout illa meritum Christi amplectitur.

Pontificii
malè accom-
modant ex-
empla ad ju-
stificatio-
nem, ut co-
ram DEO fit.

9. Congerunt Pontificii quidem autores plura exempla, maximè ex cap. 11. Epistolæ ad Hebræos.

10. Verùm illa loquuntur de fide salvificâ, non quatenus salvat, sed quatenus se exercet in aliarum rerum, divinitus promissarum apprehensione, vel etiam obedientiâ, DEO præstandâ.

Inductio Di-
dascalica quâ
ratione ritè
fiat.

11. Itaq; hæc vice duntaxat hæc duo exempla, valdè insignia considerabimus, præsertim, cum inductio didascalica vel ex uno exemplo certo & re- Etè accommodato possit inferre universalem conclusionem, cum ejus prædicatum habeat essentialem nexum cum subjecto.

12. Quod ipsum de exemplo Abrahamæ indicant Paulus, Rom. 4. v. 11. 12. & Jacobus cap. 2. v. 21. cum eum vocant Patrem fidelium.

13.

13. Ambo enim considerant exemplum Abrahami b. l. non ut particularem, sed tanquam tale, quod universalem doctrinam continet.

14. Et Paulus quidem sic accommodat illud, ut ex eo deducat universalem conclusionem de omnium credentium per fidem absque operibus justificatione.

15. Abrahamo, quatenus credidit in Messiam, Job. 8. v. 56. apud DEUM est per fidem absque operibus imputata justitia, Rom. 4. v. 11. & 12. Ergo & omnibus credentibus in Christum justitia per fidem absque operibus imputatur, Rom. 4. v. 16. & 24.

16. Jacobus autem suo instituto convenientem infert conclusionem universalem, postquam inductionis suae antecedens facit tale, v. 21. Abraham, Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, id est, pro justificato est habitus, postquam obtulisset filium suum super altare?

17. Et vers. 24. subjicit universalem conclusionem de iis omnibus, quorum justificatio certo cognosci debet: Vides igitur, quod ex operibus homo justificetur, id est, justificatus ab hominibus agnoscatur homo, & non ex fide tantum, id est, non ex sola professione fidei.

18. Scopus enim Jacobi est, demonstrare, quod ad ostensionem veri Christianismi opus sit, non tantum fidei confessione externâ, sed etiam operibus bonis, *cen sociis ac individuis signis verè fidelium,*

lium, itaq; probat inductione didaicalica ab exem-
plo tum Abrahamæ, tum Rahabæ.

Cur Apосто-
lus exem-
plum Raha-
bis exemplo
Abrahæ sub-
jiciat?

19. Quòd posterius adjicit priori, ut doceat,
etiam ex gentilibus ad veram fidem conversis esse
filios & filias Abrahami, eodemq; modo agnosci pro
fidelibus & justificatis, quò Abrahami fuit agnita
fides salvifica & justificatio.

Oeconomia
hujus Dispu-
tationis.

20. Ut autem ordinata sit hæc Disputatio, qua-
tuor capitibus eam includimus, quorum Primum
exhibebit considerandum exemplum Abrahamæ, pro-
ut ab Apostolo Jacobo proponitur. Secundum ager
de Rahabis exemplo. Tertium porisma continen-
bit, quæ Pontificii ex hoc capite secundo Jacobi eli-
ciunt. Quartum denique defendet genuinam
textûs Apostolici explicationem, & ostendet cate-
ras vel veras quidem & analogas Scripturæ sacræ,
non tamen literales esse, vel formam sanorum
verborum non tenere.

Votum.

21. Te autem, Sancte Spiritus, calidè invoca-
mus, ut salutare cogitationes nobis indas, & in
omnem veritatem nos deducas!

22. Tu enim Spiritus es veritatis, Johan. 16. v. 13.
tum in essendo, prout res conveniunt cum intelle-
ctu & voluntate divinâ; tum in cognoscendo, id
est, quatenus intellectus humanus conformis fit
ipsarum rerum nature, & denique in loquendo,
prout sermo de rebus adequatur vero rerum con-
ceptui.

CAPUT

CAPUT I.

APHORISMUS I. PONTIFICIUS.

Justificationis secundæ exemplum est Abraham, cui fides imputata est ad justitiam actualem, seu, ex operibus, cum obtulisset filium suum, Jac. 2.

1. *Resp.* Quod prorsus non est, ejus exemplum in Abrahamo dari nequit. At secunda justificatio, sicut & prima, uti à Pontificiis traditur, prorsus non est. E. justificationis secundæ, sicut & primæ, exemplum in Abrahamo nequit dari. *Vide* disputat. 10. c. 1. aph. 3. & disp. 11. c. 1. aph. 1. §. 17. & c. 4. aph. 1. & seq.

2. *Ceterum in exemplo Abrahami, quod à Jacobo adducitur, attendi debet & res à Jacobo apostolo considerata, & modus tractandi rem.*

In exemplo Abrahæ & res & modus tractandi rem discerni debet.

3. *Res considerata est fides, Abrahæ in DEUM credenti imputata ad justitiam. Modus verò tractandi est hujusmodi, ut Jacobus consideret istam imputationem justitiæ, non quatenus coram DEO fit, aut peragitur, sed quatenus jam facta, notificatur hominibus.*

4. *Potest namq; Justificatio duobus modis considerari. 1. ut coram DEO fit, vel continuatur. 2. ut coram DEO facta esse aut continuari declaratur hominibus.*

Justificatio duobus modis consideratur.

5. *Priori modo considerat illam Paulus Rom. 3. & 4. cap. nec non Gal. 2. v. 2. 3. 4. ubi expressè docet, fide absque operibus justificari credentes.*

6. *Posteriori autem modo Jacobus considerat v. 21. cap. 2. Justificationem non ratione suæ naturæ, secundum quam illa est imputatio fidei ad justitiam, sed prout illa hominibus, v. 23. quòd coram DEO reverà per fidem jam facta sit, osten-*

ostenditur & agnoscenda praebeatur ex signis, quae sunt fides, id est, professio fidei, & bona opera.

7. Quare concludimus, unam eandemque justificationem habere diversum modum considerandi. Ita enim colligimus.

Justificatio à Jacobo distincto modo consideratur.

8. Diversus modus considerandi justificationem, non facit diversas species justificationis: In verbis Jacobi c. 2. v. 21. indicatur diversus modus considerandi justificationem. E. in verbis Jacobi non asseritur esse duplicem justificationis speciem.

9. Major plana est, quia varius modus rei non variat ipsam rei essentiam ac naturam. Minorem autem jam dum confirmavimus: nunc tantum adducimus testimonium Anselmi in cap. 4. Rom. edit. Coloniensis Ann. 1533. pag. 26. Qui prius ex fide justificatus est in conspectu DEI, postea & ex operibus est justificatus etiam in conspectu hominum.

Discrimen inter sententiam orthodoxorum & Pontificiorum.

10. Neque hic committi ceu antagonista debent orthodoxi Theologi, facientes duplicem significationem justificationis; unam, quae homo declaratur justus coram DEO; alteram, quae homo declaratur justus coram hominibus, justificationem illam cognoscentibus, quod sit coram DEO facta.

11. Nequaquam enim volunt duplicem constituere justitiam coram DEO valentem, quarum una fiat coram Deo, altera coram hominibus, quia una sola eademque est justitia, propter quam coram Deo fit & continuatur justificatio nostra, & quae per certa signa notificatur hominibus.

Error Pontificiorum.

12. Enormiter autem errant Pontificii, & circa rem ab Apostolo Jacobo consideratam, & circa modum considerandi rem illam.

(1) circa rem à Jacobo consideratam.

13. Rem consideratam explicant perperam, & fidem dicunt imputari ad justitiam, aliter in primâ, aliter in secundâ justificatione.

14. In primâ justificatione fidem imputari per justitiam inchoatam, i.e. per viam ac dispositionem ad justitiam, ita, ut propter hanc fidem DEUS credenti peccata remittat, & justitiam completam infundat.

15. In secundâ verò fidem actualem conjunctam cum reliquis operibus justitiæ imputari ad justitiam, quam opera mereantur, quatenus sunt ex fide & gratiâ Christi, sic enim non hominis, sed Christi, Deiq; esse opera.

16. Et ita triplex esset imputatio fidei; Una ut dispositionis ad inchoatam justitiam, reliquæ duæ ad justitiam completam, eamq; vel habituales, vel actualem, sicut Cornelius à Lapide in c. 4. Rom. v. 3. & 6. nec non Estius in eadem loca commentantur, intelligi non nudam fidem, sed sperantem, invocantem, diligentem, obedientem. Fidem namque Abrahamæ & aliorum credentium, prout actus est hominis vel naturæ, non esse justitiam, nec posse producere justitiam, à DEO tamen acceptari ad justitiam credenti tribuendam, propter quam eum dignetur suâ amicitia, ut iterum Cornelius à Lapide in v. 3. cap. 4. Rom. differit.

17. Verum enim verò, cum fides credenti dicitur imputari, vox fidei pertinet ad classem eorum vocabulorum, quæ dicuntur μετὰ συμπλοκῆς, id est, complexa sunt, geminumq; includunt conceptum. Nam fides b. l. denotat & rem creditam, & conditionem organi, nempe fiducialis apprehensionis, quâ justitia Christi, nobis non inherens, sed eò, quod vice nostri, Legi divina à Christo præstita est, nobis imputabilis accipitur, & istâ receptione fiduciali fit ac à DEO censetur nostra justitia.

Refutatur.
Fides quæ in sensu imputari dicatur credenti.

18. Proinde imputari fides ad justitiam dicitur, cum justitia aliena, nempe Christo inherens, credenti imputatur, id est, à DEO, è tribunali gratiæ pronunciante, credenti adjudicatur pro justitiâ propriâ, non secus ac si fidelis homo ipse illam justitiam, coram DEO valentem, præstisset.

B

19. Si-

19. *Similis significatus vocis fidei, objectum simul & actum credendi organicum includentis, habetur ad Gal. 3. v. 23. & 25. Priusquam venit fides, id est, Christus fide apprehendendus: sicut paulò antè, nempe v. 19. illius capitis dixit Apostolus: Donec veniret semen, id est, Christus, in quo secundum promissionem gratia omnes gentes benedictionem, adeptura sint per fidem in illum.*

20. *Falsa itaque est interpretatio, quòd fides, pro actu credendi sumpta, nobis imputetur, quia imputationis hujus unicum objectum est justitia, vid. Disp. 10. c. 1. aph. 2. §. 16. 17. 18. Fides autem est medium, per quod res imputabilis ad justitiam, seu justitiam nobis imputatur.*

21. *Falsum II. est, fidem imputari pro initio justificationis. Nam initium justitiæ non est ipsa justitia, ob quam imputetur obedientia Christi, quia tum habitualis, tum actualis justitia, si renatis inhereat, non est perfecta & omnibus numeris absoluta, qualem requirit lex DEI, & qualis imputari debet pro justitiâ coram DEO valente, & conciliandâ amicitiam cum DEO, ac adoptione in filios DEI. III. Dilectio & obedientia sunt fidei, postquam homo per eam justificatus est, exercitia in aliis ejus objectis. IV. Non propter fidem, sed per fidem imputatur justitia. V. Non triplex, sed unica est justitia nobis per fidem imputabilis, nempe obedientia Christi, loco bonoq; nostro legi DEI præstita.*

Error Pontificiorum
(2.) circa modum considerandi rem

22. *Circa modum verò considerandi peccant Pontificii, dum volunt Jacobum tractare doctrinam de justificatione, ut coram DEO sit, sed hoc discrimine, quòd Paulus magis de primâ, Jacobus autem potius de secundâ justificatione agat, uti contra Toletum & alios Doctores Pontificios disputat Cornelius à Lapide, & Estius in c. 4. Rom. & c. 2. Jacobi, itemq; Adamus Contzius in c. 4. Roman. p. 207. Leonhardus Marius in Gen. c. 15. p. 146.*

23. *Cum*

23. *Cum autem una sit Christi justitia, eaq; non possit mut-* Refutatur
tiplicari, augeri & perfici, utpote omnibus numeris absolutissi-
ma & abundans, Rom. 5. v. 17. & 18. quæ omnibus & singulis
credentibus per fidem imputatur in justificatione, utiq; non
potest esse duplex justificatio, ut apud DEUM fit, & nauca
facienda sunt differentia, quibus in Papatu una ab altera di-
stinguitur: quod scilicet prima conferat remissionem peccato-
rum, & ex injusto faciat justum: altera vero non complectat-
tur veniam peccatorum mortalium, & ex justo faciat ju-
stiores.

24. *Omnis namq; justificandus eget remissione peccato-*
rum, propter meritum pœna, quod per illa contraxit, & ex-
piatur satisfactione Christi, quæ justificando applicatur per fi-
dem. Vid. Disput. 10. de justif. peccat. §. 6. 7. 8. & seq. c. 1.
aph. 2.

25. *Cum itaq; rejicula sit ista justificationis coram DEO*
facta distinctio, eò quod nullus hominum aliter coram DEO
justificetur, quam gratuita remissione peccatorum & justitiæ
imputatione propter Christi justitiam, fide apprehensam, ne-
quaquam illa stare poterit, & esse medium conciliandi Aposto-
lum Paulum cum Jacobo, quorum ille tanto zelo asserit, ho-
minem coram DEO justificari absq; operibus quibuscunq; ;
Hic autem docet, fide & operibus simul justificari hominem.

26. *Nam presupposita hac hypothese, quod uterq; Apo-*
stolus agat de justificatione, ut coram DEO fit, aut mani-
festa inde oriatur Apostolorum dissonantia circa summum
istum fidei articulum, quam statuere pia mens merito nefas
ducit, aut necessario statuendum esset, Jacobi Epistolam non
esse Θεόπνευστον, id quod Luthero visum est, hoc pronun-
ciatum suum super ista hypothese
adstruenti.

Lutherus quod
sensu negavit
Epistolam
Jacobi esse
θεόπνευστον.

APHORISMUS II. PONTIFICIUS.

Abrahæ justificatio apud Jacobum spectatur, tam ut per fidem actualem augetur, perficitur & crescit, quam ut agnoscenda præbetur, sicut & ipsa fides ostenditur hominibus.

1. D. Jacobus Reihingius, cum adhuc staret à Pontificiis partibus, in Manuali suo Catholico de justificatione §.2. p.376, 378. contendit, Jacobum in cap.2. Epistole suæ tantum semel loqui de fide, ut ostenditur. Novies autem verba facere de fide, ut per opera compleatur, & justificatum ex justo justiore faciat ex operibus.

2. Sed ubi ad sanam mentem rediit, & Papatum deseruit, in scripto suo orthodoxo hanc quoque sententiam retractavit, ac fassus est, loca à se adducta esse aliena à proposito Jacobi, qui vult dicere, non quomodo homo justificatur coram DEO, an per fidem, an per opera, an per utraqve; sed verè fidelem, justificatumq; & bonum Christianum esse illum, qui & fidem suam profiteatur & simul studeat bonis operibus, eò quòd fides salvifica hisce sociis signis verè demonstretur, nequaquam verò conjuncta sit cum proæreticis peccatis, uti est prosopolepsia c.2..v.2. idq; cõfirmat exemplo Abrahæ & Rahabæ.

3. Scopus proinde Jacobi est, justificationis abusum impugnare, & contra illum pias mentes munire.

Jacobus de fide & justificatione agit tantum, quantum, quantum, quantum ostendenda hominibus.

Probatur (1.) ex scopo generali,

4. Sed opera pretium est latiùs deducere hoc ac demonstrare, quòd Jacobus agat de fide salvifica & justificatione, dumtaxat ut est ostendenda hominibus.

5. Illud probamus i. ex generali ipsius scopo, qui est, docere, non quid sit fides salvifica ac justificatio, & in genere, Christi.

Christiana religio, sed quomodo à nobis agnoscenda sit utraqve.

6. Nam postquam egit Apostolus Jacobus de regeneratione c. 1. v. 18. inde duo elicit corollaria: Primum de officio hominis renati, quod est audire & recipere sermonem veritatis, per quam regeneriti sint, v. 21. fuga peccatorum, v. 21. & studium bonorum operum. Secundum consuetudinarium est, de ratione cognoscendi semetipsum, quod sit verus Christianus, seu verè fidelis, & verè justificatus coram DEO.

7. Signa verò facit duo: Unum est, audire sermonem veritatis, alterum verò est, esse factorem verbi, seu ipsa facere, quod DEUS in verbo suo requirit.

8. Prius in examine conscientia non esse sufficiens ad legitimam censuram, de se & aliis ferendam ideò, qui ex illo solo sibi videntur renati, eos testatur committere paralogismum signi, quo sibi metipsis imponunt.

9. Paralogismus est talis: Qui audiunt verbum DEI, sunt beati. At ego audio verbum DEI. Ergò ego sum beatus.

10. Hoc ipsum etiam patet ex v. 26. εἰ τις δοκεῖ ἑπῆσθαι, si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio, id est, hujus iudicium de seipso, quod sit verus Christianus & verè religiosus, est vanum.

11. Id quod illustrat à contrario, v. 27. Religio munda & immaculata, id est, seria & sincera apud DEUM est visitare pupillos ac viduas in tribulatione earum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.

12. Quæ verba itidē non loquuntur de religione secundum essentiam suam spectatā, sed quatenus ea perfectè est agnoscenda & dijudicanda ex operibus. Sicut hic sensus liquet ex versùs precedentis antithesi, ubi dixit, eum in religionis suæ experimento decipere cor suum, si quis scilicet bonis operibus

ribus vacuus, sibi videatur esse religiosus: tum etiam ex ipsa natura religionis Christiana, quam solam constituit vera fides in Christum; demonstrant autem opera, ut identidem inculcat Lucherus.

Duplex ω oin-
ois in Scri-
ptura.

13. Est sanè duplex ω oinois, ut generali nomine appellatur in Scriptura, una est fides in Christum, id est, fiducialis apprehensio meriti Christi, Job. 6. v. 41. altera verò præstatio bonorum operum, Jac. 1. & utraque opponitur nudo auditui, Matth. 7. v. 24. 26. & soli professioni fidei, Matth. 7. v. 21. differunt tamen ut signatum & signum. Prior ω oinois seu fides in Christum, quæ facit Christianum, est res agnoscenda. Posterior autem ω oinois sunt bona opera, quæ non faciunt, sed duntaxat ostendunt bonum Christianum, & habent se instar notæ certæ, ita, ut ex eorum, cum præstari deberent, defectu infallibiliter concludi possit, illum, qui peccatis deditus est, non esse verum Christianum seu verè fidelem.

14. Firmo itaque talo stat argumentum: Quibus verbis monstratur experimentum veræ fidei & ratio perfectè cognoscendi justificatum, illis non agitur de justificatione, ut coram DEO fit, sed ut coram DEO facta vel continuata est agnoscenda ab hominibus. Sed in cap. 2. Jacobi v. 18. usque ad finem monstratur certum experimentum fidei veræ, ac ratio perfectè cognoscendi justificatum. Ergò in cap. 2. à v. 18. usque ad finem agitur de fide verâ, non ut justificat, nec de justificatione, ut fit & continuatur coram DEO, sed ut agnoscitur ab hominibus.

15. Hoc, quod de posteriori corollario diximus, tam clarum esse, quàm quod clarissimum: patet insuper ex evidenti similitudine, quam adhibet Apostolus, desumptam à speculo, prout homo renatus in examine conscientie suæ ex verbo ceu speculo recognoscere potest, qualis sit.

16. Sic Bernhardus etiam accipit hoc simile, serm. 1. de septem panibus: Evangelium speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timere trepidet, ubi non est timor, nec lætetur, cum

cum malè fecerit. *Et allegato hoc loco Jacobi subjicit: Nos, autem, fratres, confidimus nosmetipsos in eâ, quam audivimus, Evangelii lectione, ut perficiamus ex eâ & corrigamus, quæ in nobis corrigenda.*

17. *Ideò ait Apostolus, renatum in sui recognitione esse similem ei, qui consideret seipsum, & intueatur faciem, nativitatis suæ, id est, faciem suam nativam, quæ se in speculo exhibet visui, objectam per speciem ex speculo ad videntis oculum reflexam. Nam speculum, quod de facie consulitur, est medium videndi faciem, ceu ὁ ἑαυτοῦ πρὸς τὸ ἑαυτοῦ, cujus se ita representantis facies seu imago exhibetur in speculo.*

18. *Sicut ergò quis in speculo videt, qualis sit, ita ex verbo DEI cognoscit renatus, an verè sit religiosus & verus Christianus: aut an sit hypocrita. 2. Sicut modus intuendi speculum est duplex: alius fit obiter, & quasi in transitu: alius verò accurate, in eo, qui penitus adspicit imaginem in speculo, ὡς ἑαυτοῦ ψαῖς, v. 25, id est, inclinato corpore vel capite videns, der sich beschawet: ita quoque modus cognoscendi seipsum ex DEI speculo, quod est lex libertatis, est duplex: unus perfunctorius, qui ex solo auditu verbi ceu signo imperfecto oritur, nec firmam & solidam parit notitiam: quia talis comparatur viro, intuenti speculum & mox abeunti, alter autem est accuratus & solidus, cum quis non est auditor oblivionis, id est, obliviosus, sed permanet, id est, firmiter sibi proponit facere, ac facit ea, quæ audivit; hic est beatus signotenus, i. e. infallibiliter beatus cognoscitur ac censetur ἐν ποιήσει, in operatione suâ, id est, in exercitio legis libertatis, cum effectui tradit, quæ audivit facienda esse.*

19. *Hinc denuò colligimus: Ex quo ad libertatis legem conformato, ceu speculo accurate inspecto, renati seipsum rectè considerant, an verè sint religiosi, ex illo infallibile iudicium sumitur de Christianâ religione, non quatenus est, sed quatenus est agnoscenda. Sed ex operibus ad libertatis legem conformatis*
cei

seu speculo accuratè inspecto renati seipfos rectè considerant, quales sint, an verè sint religiosi, an verò impii. Ergò ex operibus iudicium fertur de religione Christianâ, non quatenus est, sed quatenus est agnoscenda tantùm.

(2) Ex scopo
speciali
cap. 2.

20. Et tantum de probationibus, quæ patent ex contextu Epistolæ Jacobi c. 1. Postquam autem tradidit generalem doctrinam suam, quòd Christiana religio ἐν ποιήσεσσι ostendi debeat, progreditur ad speciem certam operum charitatis erga proximum, quibus renatos jubet unâ cum fide, id est, professione fidei seu signis sociis ostendere, quòd verè sint renati ac fideles, quatenus ex illis secundùm legem libertatis sunt iudicandi in examine conscientie suæ, cap. 2. v. 12.

21. Initiò quidem κατ' ἀρετὴν disputat, & vero ac sincero iudicio de questione, an quis sit verè fidelis, opponit perversum iudicium de renatis pauperibus ex prosopolepsia ortum. Nam credentes omnes sunt filii DEI in Christo JESU, Gal. 3. v. 26. unus sunt in Christo JESU, & uti non est Judæus, neque Græcus (i.e. gentilis) non est servus, neque liber, non est masculus aut foemina, v. 28. ita nec dives & pauper magis & minus honorabiles videntur in Christo JESU. Proinde, qui de fidelibus ferunt iudicium ex paupertate ac divitiis, sunt προσωπολήπται, qui in honore exhibendo discernunt Christianum pauperem à divite, ita, ut hunc, quia dives est, preferant isti, quia pauper est, ut exponit ipse Jacobus, ac sunt κριταὶ ἀλογισμῶν πονηρῶν, iudices rationum perversarum, qui perversè colligunt & concludunt à non causâ ut causâ. Ille est penulatus, & incedit sordidatus. Ergò est contemnendus: Iste est splendide vestitus: est annulatus: Ergò honorandus cum contemptu pauperis.

22. Tales paralogismos refutat Apostolus: Qui sunt divites in fide, illi non ex vilitate habitûs, sed ex operibus fidei sunt agnoscendi & honorandi. Pauperes hujus mundi in cœtum vestrum venientes sunt divites in fide. Ergò pauperes hujus mundi
non

non ex vili habitu, sed ex operibus fidei sunt agnoscendi & honorandi. E diverso: Qui abutuntur opulentiâ suâ ad fastum, & oppressionem reliquorum Christianorum, & bonum nomen quod invocatum est super nos, *id est, nomen Christi, à quo denominamur Christiani, id est, Christi affecta, discipuli & filii,* blasphemant seu blasphemari faciunt inter gentes, *id est, odiosum reddunt, 2. Pet. 2. v. 2,* illi non sunt honorandi cum posthabitione pauperum, Sed quidam Christiani divites opulentiâ suâ abutuntur ad fastum & oppressionem reliquorum Christianorum, & his aliisq; peccatis ansam præbent gentibus ad blasphemandum religionem Christianam. Ergò tales Christiani divites non sunt agnoscendi pro talibus, qui sint honorandi cum posthabitione pauperum.

23. Principale itaque argumentum hujus membri, quo perstringit *μεγιστοπολησίαν* in posthabendis pauperibus Christianis, est tale: Qui habent fidem JESU Christi, sed opera caritatis, ex quibus per fidem justificandi sunt, non habent, ii pro verè fidelibus & Christianis non possunt agnosci & haberi. Sed profopoleptæ in honore pauperibus Christianis exhibendo non habent opera caritatis. Ergò profopoleptæ in Christianorum pauperum posthabitione non possunt agnosci verè fideles. Nam loquuntur quidem, seu, ut vers. 1. ait Apostolus, fidem habent JESU Christi, *id est, professionem fidei Christianam, at non agunt secundum illam fidem, quam profitentur.*

24. Minor probatur: Quicumque redarguitur à Lege, velut transgressor, ille non potest agnosci justus & Christianus. Profopolepta hujusmodi à Lege redarguitur, ceu legis transgressor, v. 9. Ergò non potest agnosci justus.

25. Majorem prosyllogisticam illustrat à gnome generali de legis divinae accuratone. Transgressio legis per unius præcepti violationem facit reum transgressionis omnium præceptorum, v. 10. At profopolepsia & *ἀσοργία* erga fratrem pauperem est talis transgressio legis. Ergò facit reum transgressionis omnium peccatorum.

26. Majoris epilogistica probatio sumitur ab inten-

©

tio-

tione Legislatoris, qui non aliqua tantum, sed universa ac singula precepta Decalogi promulgavit. v. 11. Eandem confirmare potest paritas maledictionis in transgressores, licet gradus illa habeat alios atq; alios. Matth. 5. v. 22. Deut. 27. v. 16. Galat. 3. v. 10. itemq; equalis executio maledictionis secundum talionem: ἡ γὰρ κείσσις ἀνίλεως τῶ μὴ ποιήσαντι ἐλεῶ, iudicium absq; misericordia est illi, qui non fecerit misericordiam, scil. metuendum est: quam ellipsin suppeditat oppositum hominis misericordis premium: idq; iterum à contrario illustrat: misericordia verò hominis misericordis, per metalepsin abstracti pro concreto, ut ex opposito patet, gloriatur contra iudicium, id est, agnoscit se nequaquam damnatum esse, sed ex hoc signo infallibiliter certus, confidit se beatum esse.

27. Ex his omnibus liquido apparet, Jacobum agere de verè fideli ac justificato, non quoad essentiam suam, sed ut talis esse ex certis signis agnoscitur. E contra eum, qui habet fidem, id est, externam professionem fidei, sed destituitur operibus caritatis, non esse habendum pro vero fideli, sed pro hypocrita, quales sint Christiani prosopolepta & immisericordes.

(3.) ex v. 14.
c. 2. ab inutilitate profes-
sionis fidei ab
operibus se-
parata,

28. Tertium argumentum, unde constat, Jacobum agere de renatis & fidelibus, ut agnoscendi & censendi sunt tales, desumitur ex v. 14. capitis secundi, ab inutilitate professionis fidei ab operibus separatae. Quo modo fidei professio & opera bona ceu signa collateralia sunt utilia ad salutem spiritualem, eo modo considerat Jacobus salutem spiritualem. Nam professionem fidei intelligit, per quam quis dicat se habere fidem. At professio fidei & opera bona ceu signa socia profunt ad salutem spiritualem non efficiendam aut etiam conservandam, sed ad eius demonstrationem & certiorationem. Ergò eo modo considerat Jacobus justificationem ac salutem spiritualem.

29. Major patet ex v. 14. Quid proderit (ad salutem agnoscendam) si fidem dicat aliquis (Christianorum fratrum) se habere: opera verò bona non habeat: num
potest

potest talis fides eum salvare, id est, saluum ostendere, & quia alterutrum horum signorum seorsim sumtum est inutile propter insufficientiam ad faciendam certitudinem infallibilem de presente salute spirituali. Ergo eorum conjunctio est utilis ad certiorandam salutem istam. v. 22.

30. Sanè Apostolus interrogativam orationem ita concipit: Numquid potest talis fides, id est, quam quis duntaxat dicit se habere, id est, professio fidei, salvare eum? quæ æquipollet huic propositioni: Non potest talis haberi fides pro salvificâ. Et de salute ipsâ, ratione essentia & efficientia sua spectata non posse hæc verba intelligi, manifestum est ex doctrinâ Paulinâ de justificatione: cum nec fides, id est, professio fidei, nec opera, sive seorsim, sive conjunctim sumantur, ingrediatur actum justificationis: sed signa tantum sint illius, & quidem conjuncta faciunt, ne quis in examine sue conscientia de sui justificatione instituta decipiat seipsum, & cor suum seducat.

Fides externa
& opera non
ingrediuntur
justificatio-
nis actum.

31. Hinc ita colligimus: Si fides, quam quis dicit se habere, i. e. externa professio fidei absque operibus non sufficit ad veram fidei salvificæ & justificationis coram DEO jam factæ agnitionem, sequitur à Jacobo fidem salvificam & justificationem considerari non ut est in suâ naturâ, sed ut agnoscenda est. Sed verum prius. Ergo & posterius.

32. Major illustratur à comparatis: Sicut ad caritatem egeno fratri demonstrandam non prosunt sola verba, sed requiritur etiam ipsum opus misericordie & collatio Eleëmofynæ: ita quoque fides, quam quis dicit se habere, id est, externa professio fidei, καὶ ἰαυτὴν, per seipsam scilicet spectata, vel ut Syrus reddit, solitaria, sive ab operibus bonis separata ad caritatem aliis demonstrandam est mortua, id est, inutilis ad officium infallibiliter ei, qui dicit, se illam habere, significandi presentem salutem spiritualem. At verum est prius: Non enim satis est, uti verbis vel votivis,

quibus egeno precemur DEI auxilium: Ito in pace: vel consolatorius ad erigendum pauperem, qui quotidiano victu eget: Calefcite & saturamini, id est, utinam calefcatis, i. e. vestiamini, Job. 31. v. 21. & saturemini: Sed in eo, cui dandi aliquid facultas suppetit, requiritur etiam datio eorum, quæ sunt ἀνάγκη σωματι, necessaria vel idonea corpori. Luther. Was des Leibes Nothdurft ist. Quod idem vult Johannes in 1. Epist. c. 3. v. 18. Filioli mei, ne diligamus verbo atq; lingua, sed opere & veritate, v. 19. & per hoc (si diligamus simul verbis & opere) cognoscimus nos ex veritate (id est, verè fideles) esse, & in conspectu ejus (coram ipso) in conscientia nostra, quæ est DEI tribunal, svadebimus corda nostra (cordibus nostris) i. e. certa reddamus corda nostra, quòd illum diligamus. Inde ultrò sequitur conclusio: Ergò verum est & posterius.

(4.) ex v. 18.
à fine externo
no professio-
nis fidei.

33. Accedit insuper aliud ad probandum Apostoli scopum, antea memoratum, ex v. 18. quod sumitur à fine externo professionis fidei, si professio illa jungatur cum operibus bonis. Finis autem ille est perfecta ac sufficiens occasio fidei salvificæ, v. 8. 22. Ostende mihi fidem tuam ex operibus, & ego tibi ostendam fidem meam ex operibus. Non enim hisce verbis respondet ad objectionem, sed novum subjicit argumentum & per prosopopœiam introducit hominem verè fidelem, collocantem fiduciam suam in Christum ac sistit se ipsum ad examen, ac postulat ab hypocrita, ut & ipse fidem suam, quæ ex sua opinione statuit se coram DEO justificari ac salvari posse, non tantum docendo, sed & faciendo, non tantum professione fidei in Christum, sed & operibus, professioni consentaneis demonstrat.

34. Non enim hic est Dialogismus, ut quidem volunt Erasmus in paraphrasi, Zepperus super hunc versum & Balthasar PaëtZ in scholiis, quia una tantum persona loquitur,

*tur, sed communicatio, quâ verè fidelis alloquitur hypocri-
tam, qui putat se absque operibus salvari posse. Sed inquit
aliquis: Ubi in Græco extans particula ἀλλά, Sed, non est ad-
versantis; sed vel inferentis, & valet idem ac, ergò, quam-
obrem: vel continuantis, ut respondeat adverbis; Præterea,
insuper: vel exaggerantis, ut tantundem sit, ac quoniam, imò
verò, vel jure, aliquis verorum Christianorum dicet Hypocri-
ta: Tu fidem habes, quasi dicat, Esto vel sit ita, ut asseris:
sed te fidem habere dicis, quam nihilominus putas esse salvifi-
cam, etsi non habeas opera. Ego autem insimul opera habeo,
non tantum dico me fidem habere. Ostende mihi fidem
tuam (quam dicis te habere) ex operibus, & ostendam ti-
bi fidem meam ex operibus.*

*35. Sic itaq; verè fidelis vult hypocritam convincere, quòd
fidem salvificam non habeat: Qui non habet opera, ille non po-
test perfecte & infallibiliter ostendere, se veram & salvificam
fidem habere, ut maximè dicat se veram fidem habere. Nam fi-
des, quæ non simul ostenditur per opera, nulla est. Tu hypocri-
ta non habes opera. Ergò tu non potes ostendere, quòd habeas
veram ac salvificam fidem, ut maximè dicas te illam habere.*

*36. Major declaratur occupatione, quâ verus Christianus
respondet hypocritæ ad geminam objectionem, v. 19. Sunt
enim adhuc verba Christiani sinceri, qui pergit confutare per-
versam alterius opinionem.*

*37. Objectio prima hypocritæ talis est: Qui habet cogni-
tam doctrinam fidei Christianæ, & firmo assensu credit eamq;
profiteatur, ille bene facit; Ego habeo cognitam fidem Christianæ
doctrinæ & firmo assensu credo. Ergò bene facio.*

*38. Resp. Per concessionem totius argumenti: Tu cre-
dis, DEUM esse unum, id est, doctrinæ Christianæ articulos
novisti & firmo assensu amplecteris, quia hic articulus est pri-
mus in fidei Christianæ symbolo, ideo unius illius mentione per
synecdochen Hebræis usitatam Apostolus complectitur*

etiam ceteros articulos. Benè facis, quasi dicat, in se & sua naturâ articulorum illorum notitia cum assensu illis præbito conjuncta, est bona.

39. Altera hypocrite illatio sic habet: In quo est notitia articulorum fidei & assensus firmus illis præbitus, in eo quoque est salvifica fides. In me est illa notitia articulorum fidei &c. Ergò in me quoque est fides salvifica.

40. Ad majorem, ductu Jacobi, respondet verus Christianus per inficiationem, quia opponit duplicem rationem, ἐλεγκτικὴν.

Fides Diabolorum. 41. Prima ratio ἐλεγκτικὴ à simili ducitur: Fides Dæmonibus communis non est salvifica. At fides, quam quis tantum dicit se habere, id est, sola professio fidei est Dæmonibus communis: Etiam Dæmones credunt & contremiscunt: Nam profitentur Christum, & eà professione manifestant fidem historicam & assensum de Christo, tum, ut est Θεοῦ υἱοῦ, quia confitentur eum esse Filium DEI, Matth. 8. v. 29. Marc. 5. v. 7. Luc. 4. v. 28. & sanctum DEI, Marc. 1. v. 24. tum etiam ratione officii, ut est Salvator hominum, Act. 16. v. 17. Ergò fides, quam quis duntaxat dicit se habere, id est, professio fidei non est fides salvifica.

42. Altera ratio ἐλεγκτικὴ à proprietate fidei sumitur: Fides conjuncta cum terrore, non potest haberi pro salvificâ. At professio quâ quis solum dicit se habere fidem, ut & fides quæ assensitiva tantum est, est conjuncta cum terrore. Ergò externa professio fidei, ut & interna illa fides, quæ duntaxat est historica & assensitiva, non est salvifica.

Fides justificans quid sit? 43. Fundamentum justificationis, quâ nititur major elegantia hujus, est definitio fidei salvificæ, quòd sit fiducialis apprehensio gratiæ divinæ, in Christo promissæ. Ubi autem est terror & tremor servilis, propter strictam DEI justitiam, fugiens DEUM offensum ac vindicem, ibi non potest esse fiducia salvifica, quæ prærequirit, tum singularem assensum, promissionibus ad se pertinentibus præbitum; tum desiderium

rium veniæ, & rei justificæ sibi applicandæ, nec non ejusdem prius desideratæ apprehensionem & appropriacionem, & est quies in gratiâ DEI ac meritò Christi desiderato, apprehenso, & appropriato.

44. Minor autem constat ex historiâ Evangelicâ. Licet enim Diaboli nôrint & assentiantur Christum esse Salvatorem, tamen sciunt illum tantum hominum, & non suum Salvatorem esse: Sibi autem ejus, ceu severi judicis vindictam expectandam esse, Matth. 8. v. 29. Marc. 5. v. 7. Luc. 4. v. 41. & cap. 8. v. 28.

45. Ex hoc itaque membro tale formamus pro assertione scopi Apostolici argumentum: Qui in personâ veri Christiani ab hypocritâ postulat fidem salvificam sibi ostendi, non tantum per dicere, se habere fidem, seu per externæ professionis actum, sed etiam per facere, ille considerat fidem salvificam, non ut salvat, sed ut ostendi & agnosci potest ab hominibus. Jacobus Apostolus in personâ veri Christiani ab hypocritâ, quem examinat, postulat fidem salvificam sibi ostendi & agnoscendam præberi non per dicere tantum, sed & facere, non tantum per externam professionem fidei, sed & ejusdem exercitium practicum. Ergo Jacobus Apostolus agit de fide salvificâ, non quatenus salvat, sed quatenus ex certis signis ostendi & agnosci potest, itemq; de justificatione, non quatenus fit coram DEO, sed quatenus coram DEO jam facta est, agnoscitur ab hominibus ex certis signis, quibus ostenditur.

46. Restat ultimum argumentum, in quo principalis (4.) ex v. 20. & 23. scopus Apostoli comprobari potest, & unde liquet, Apostolum agere de fide salvificâ, deq; ipsâ justificatione & salvatione tantum, ut est ostendenda, v. 20. & 23. Qui ait Scripturam de justificatione Abrahamæ, ut credentis, loquentem esse impletam per oblationem Isaac, quæ fuit opus, longè posteriùs ejus justificatione, ex quo innotuit, credentis per fidem justificatio jam antè coram DEO facta & usque tunc continuata, ille tractat de fide salvificâ, deq; justificatione tantum, ut agnosci potuit ex illustri illo signo, quo ipsa ostensa fuit. At Jacobus ait, Scri-

Scripturam de justificatione Abrahamæ impletam esse per oblationem Isaac, quæ fuit opus longè posterius ejus justificatione. Ergò &c.

47. Minor probatur, quia Jacobus dicit expressè v. 23. c. 2. impletam esse Scripturam scilicet signotenus, quando ex destinata oblatione fidei, ceu illustri signo innotuit fides Abrahami. Sic enim habet Scriptura Gen. 22. v. 15. Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unico, v. 16. benedicendo benedicam tibi, eò quòd obedisti voci meæ. In quibus verbis obedientia Abrahamæ adducitur, non ut causa benedictionis sive justificationis, sed ut testimonium ejusdem, & signum, quo magis certioratur de semine benedicto ex lumbis suis nascituro, & per illud obtentâ benedictione spirituali, nec non de reliquarum benedictionum, divinitus promissarum, eventu adhuc futuro. Quapropter particula quia, significat causam non benedictionis ipsius, sed tantum causam cognoscendi benedictionem ejusque continuationem, ac proinde sermonem ibi esse innuit de benedictione seu justificatione, non quatenus sit coram DEO, quia ea sic considerata describitur per imputationem fidei in justitiam, sed quatenus notificatur hominibus, quòd coram DEO sit facta, & quatenus fides per hoc opus ceu exercitium suum secundarium efficax sit, & operosa est ac certioratur magis, sicut Epist. Hebr. cap. 11. v. 18. ait: Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissionem.

48. Hoc idem comprobatur versus 16. c. 22. Gen. ubi Angelus dicit ad Abrahamum: Nunc cognovi, quòd timeas Dominum. Hac enim verba ἀνθρωποπαθῶς sunt intelligenda de DEO, non quòd ipse indigeat exploramento fidei, quippe cui à seculo nota sunt omnia opera sua, Act. 15. v. 18. sed quòd tentatio, quâ DEUS tentavit Abrahamum, fuerit ἀφορμὴ & occasio experimenti illustris, ab hominibus capiendi de Abra-

Obedientia Abrahamæ non causa, sed testimonium & signum benedictionis est.

Particula quia, Gen. 22. v. 15. causam non ipsius benedictionis, sed cognoscendi eam significat.

Quâ ratione DEUS dicatur cognoscere.

Abraha justificatione coram DEO longè antè factà, & per fidem huc usque continuatà, cum facit, quòd homines, aliquem tentantes, & per experientiam aliquid scire volentes facere solent, id est, cum probat alicujus fiduciam & obedientiam, & hanc probatione illius velut experimento quodam compertam notamq; reddit tum aliis, quoad possunt experimentalem notitiam habere de hujus vel illius pietate, tum ipsi homini, qui tentatur & recognoscere potest, quæ intelligit ac vult, Exod. 16. v. 4. Deut. 8. v. 2. Judic. 2. v. 22.

49. *Atque sic etiam intelligit Augustinus libro 4. de genesi ad literam: Nunc cognovi, i. e. nunc feci, ut cognosceretur. & lib. 16. de Civitate DEI, cap. 32. Nunc scivi, id est, sciri feci. & in Psal. 78. Nunc cognovi te, i. e. nunc feci te cognoscere. Ignotus enim sibi quilibet est, ante interrogationem tentationis. Probatus autem Abraham, factus est cognitus sibi.*

50. *Similia habet Glossa ordinaria in cap. 22. Genes. v. 16. Abraham per opera, quæ fecit, justus non fuit, sed solà fide. Oblatio enim ejus est opus ac testimonium fidei ac justitiæ. & Lyranus in cap. 2. Jac. ubi, postquam verba Domini: Nunc cognovi, quòd timeas Dominum, id est, cognoscere feci alios, explicavit, mox subdit explanationis hujus rationem: Notitiæ autem DEI nihil accrescit de novo. Sic & Thomas in cap. 2. Jacob. & in cap. 3. ad Gal. docet.*

51. *Quos tamen ceteros testes non alio fine allegamus, quàm ut probemus, justificari Jacobo idem esse ac justum, quòd fine Thomæ & Glossæ ordinariæ allegentur. agnosci vel ostendi, & Apostolum illum loqui de fide salvificatione & justificatione, ut ostendenda est, & hominibus notificanda. Nam cetera, quæ subjicit Thomas in c. 3. Gal. de duplici justificatione, unâ per infusionem justitiæ, alterâ, quâ justificationem ostendamus & consummemus, seu, ut Glossa ordinaria loquitur, ampliùs justificemur per opera, quæ consequuntur fidem, & id genus alia obelisco sunt digna, sicut hoc disci potest ex Disp. 10. c. 1. aph. 1. 2. & 3.*

D

52. Sunt

Cur ab Apo-
stolo Jacobo
oblato Abra-
hæ tantum
commemo-
retur,

52. Sunt quidem varia opera, quibus Abraham testatam fecit fidem suam, ut emigratio ex Ur Chaldaeorum, Genes. 11. v. 31. commemoratio in terrâ alienâ, Hebr. 11. v. 8. 9. constructio altarium & invocatio nominis DEI, Gen. 12. v. 8. oblatio sacrificii, cap. 15. v. 9. & seqq. sed tamen oblatio filii Isaaci erat præcipuum & maximè illustre signum, quo evidenter ostendit fidem suam, quâ contra spem humanam in spem divinam credidit, Rom. 4. v. 18. DEUM nihilominus posse implere promissionem & vel ex morte filium mox reluscitare, Rom. 4. v. 17. Hebr. 11. v. 19.

53. Utitur autem Apostolus c. 2. v. 21. præteriti temporis participio ἀνεβήνας, id est, postquam obtulisset, quia respiciet rem prius gestam & divinitus acceptum testimonium, quo coram DEO factam esse justificationem comprobatum & declaratum fuit hominibus. Ideoq; Vulgata perperam vertit: Offerens filium suum: cum reddere debuisset: Postquam obtulisset, nempe quoad propositum & destinatum ad promptitudinem obsequendi DEO, quâ in procinctu erat ad executionem mandati & actûs ipsius consummationem.

54. Et hæc ipsâ expressâ mentione temporis præteriti indicat Apostolus justificationem Abraham coram DEO, ejusq; continuationem ostensam ac notificatam fuisse tum ipsi Abrahamo, tum aliis hominibus, per insigne illud opus, non verò ipsam justificationem Abraham coram DEO aut continuationem ejus factam esse per oblationem filii, & alia opera modo commemorata, quæ simul respicit Jacobus, dum in plurali ait: Ex operibus justificatum, i. e. compertum fuisse ex hisce signis, quòd justificatus esset coram DEO.

55. Concludimus itaque & hoc argumento: Quod longè posterius fuit ipsâ fidei imputatione ad justitiam Abraham omnino completam, id non potest esse causa imputationis illius, neq; prius factam justificationem facere auctiorem aut perfectiorem. Sed oblatio Isaaci longè posterior fuit ipsâ fidei imputatione ad

omni

omnino completam & perfectissimam justitiam Abrahami, quia per eam factus est amicus DEI. Ergo oblatio Isaaci non potuit esse causa imputationis illius, neque prius factam justificationem facere auctiorem & perfectiorem.

APHORISMUS III. PONTIFICIUS.

Fides enim Abrahamæ cooperata est operibus ejus, ad justificationem & salutem efficiendam.

1. Salus gratiæ consideratur, vel ut à DEO accipitur *ceu* premium justitiæ, vel ut à DEO accepta esse hominibus per certa signa notificatur & ostenditur. Ideoq; nec fides potest considerari in verbis Jacobi cap. 2. v. 29. ex quibus Aphorismus Pontificius perperam deductus est, ut est causa salutis, sed tantum, ut est signum & causa cognoscendi acceptam salutem.

Salus gratiæ
duplici modo spectatur.

2. Quod si maxime fides hoc loco spectaretur, ut essentiam justificationis & salvationis ingreditur, tamen non esset salvifica, ut est habitus cum aliis virtutibus conjunctus, sed ut est organum apprehendens rem justificam & salvificam.

3. Denique *συνεργεια* fidei ac bonorum operum, quam Jacobus nominat, consistit non in efficientiâ, sed in activâ notificatione & ostensione justificationis, ad quod officium mutuam operem conferunt externa illa fides & bona opera.

συνεργεια fidei
& bonorum
operum qua-
lis à Jacobo
afferatur.

4. Neque enim *συνεργεια* hac est successiva operatio, sed simultanea causarum coordinatarum actio. Jam si fides spectaretur h. l. ut ingreditur justificationis actum, opera bona *ceu* effectum consequerentur fidem, non autem simul agerent cum fide *ceu* sociæ causæ cognoscendi signatum. Nam opera fidei salvifica, ut sunt ejus effectum, vel considerantur, vel ut opposita, vel ut subordinata sunt fidei salvificæ. At hæc fides, quæ operibus cooperatur, id est, externa professio fidei, & opera

non sunt opposita, ut causa & effectum, neque hac illi subordinantur, sed invicem coordinantur, ceu collateralia signa & causa mutuò concurrentes ad commune ἀποτέλεσμα, quod est ostensio, seu notificatio fidei salvifica, justificationis & salutis spiritualis.

Fidei signifi-
cata.

5. Ut autem explicatio verborum Jacobi sit liquidior, probe dispiciendum est, ecquid significet hoc loco fides, quæ sit ejus utilitas. Fidei namque significata sunt varia, & 1. notat fidem externam, i. e. professionem fidei: 2. internam, seu professam. Fides autem interna rursus est

6. Vel historica, id est, notitia articulorum fidei, vel assensitiva, quæ dogmata fidei recipit, tanquam divina & infallibiliter vera. Huc pertinet præceptum Jacobi cap. 1. v. 20. Recipite sermonem ἐμφύτων, nativum, purum, ac simplicem, ut in se est, non fucatum aut interpretamentis falsis corruptum, quem eodem sensu v. 18. nominavit λόγον ἀληθείας, veritatis, id est, ἀληθινόν, verum sermonem.

7. Vel est fiducialis apprehensio, quam eandem simul indicat dicto loco Apostolus, cum jubet recipere sermonem institutum, tanquam illum, qui potest animas salvare. Nam ita recipere verbum DEI, ut per illud salveris, non est nuda fidei assensitiva, sed requiritur insuper fiducialis apprehensio meriti Christi.

8. Hujus salvifica fidei δοκιμίων seu exploramentum sunt tentationes, Jacobi 1. v. 3. à quâ etiam efficaciam suam accipit oratio ad eam, quæ postulat, impetranda, inde enim nominatur εὐχὴ πίστεως, precatio fidei, cap. 5. v. 15. Porro & Jacobi cap. 2. v. 23. salvifica fides comprehenditur phrasi illâ, quâ fides dicitur imputata esse Abrahamo in justitiam, cap. 2. vers. 22. Externa verò fides, i. e. professio fidei juxta descriptionem Jacobi cap. 2. v. 7. est dicere, se habere fidem internam, eamque vel historicam, vel assensitivam, vel simul etiam fiducialem apprehensionem meriti Christi.

9. Ad

9. Ad hunc significatum pertinet Pauli monitum de beneficiâ declarandâ maximè τοῖς οἰκείοις οἰσέως, domesticis fidei. Gal. 6. v. 10. & Jacobus cap. 2. v. 1. ubi requisivit à Christianis, ne habeant fidem ἐκ προσώπων ὁληψίας, cum respectu ad personas hominum: sicut etiam ipse Cornelius à Lapide fidem in isto loco de externâ fidei professione interpretatur. Similiter fides sumitur, cum dicitur cooperari bonis operibus, vers. 22. & cum ex operibus Abraham dicitur justificatus, ac non ex fide tantum. Idq; evincunt rationes, in refutatione Aphorismi secundi allatæ.

10. Nec roboris aliquid habent objectiuncule Gvilielmi Estii, quibus hanc significationem fidei impugnare conatur. Gvilielmi Estii rationes, earumq; refutatio.

11. Prima ejus ratio est: Nuda professio non est bona. Fides quæ est absque operibus, est res bona, v. 19. Ergo fides non est nuda professio apud Jacobum. (1.) Ratio Estii.

12. Resp. ad majorem, aliud est fidei professio, aliud fidei professio sola vel absque operibus, sive nuda.

13. Professio fidei ratione suæ essentiæ spectata non est mala, sed bona & aliquale signum fidei salvificæ ac justificationis. Professio fidei in sese est bona & per accidens fit mala,

14. Per accidens autem fit, ut fidei professio sit mala, quando vel solam historicam fidem proficitur & assensum non præbet articulis fidei, constituentibus historiam historiarum: Quæ est Epicureorum professio externa, quæ ne quidem assensu suo comprobant, quæ norunt & confitentur.

15. Vel professio quidem conjuncta est cum serio assensu, attamen caret fiduciali apprehensione meriti Christi, & operibus, ceu signis illius necessariis. Ac proinde sola professio tunc dicitur, quæ excludit non assensum præbitum articulis fidei, sed fiduciam in promissionem gratiæ, & opera, ceu perpetuum fidei salvificæ corollarium. sicut Paulus Tit. 1. v. 16. de hypocritis, pollutam habentibus conscientiam, testatur, quod confiteantur, se nosse DEUM, factis autem negent. D 3 16. Quan-

16. Quando ergo professio fidei non tantum assensitiva, sed etiam fiducialis apprehensionis meriti Christi datur, tunc non est sola, i.e. solitaria, nec vacua est operibus. Quamvis enim ex operibus, ut saepe diximus, nemo justificetur, tamen opera illa & ad professionis actum externum, & ad fidem professam seu internam respectum habent.

Bona opera
diverso res-
pectu & causa
& effectus ra-
tionem ha-
bent.

17. Ad professionem externam respiciunt, ut sunt causa sociæ in mutuâ comparatione effectus, qui est ostensio fidei salvifica & justificationis.

18. Ad fiducialem autem apprehensionem meriti Christi, tanquam rem professam referuntur ceu effecta ac signa necessaria illius, ex quorum defectu necessario arguitur defectus fidei salvifica.

19. Ac proinde bona opera, & causa & effecti rationem obtinent.

20. Causa sunt, quatenus cum professione externâ cooperantur notificationem & certitudinem de præsentia fidei salvifica, ac justificationis & salutis gratia.

21. Effecta verò sunt fidei salvifica, non quidem quatenus salvifica est, sed quatenus post acceptam salutem homo fidelis se exercet in studio sanctitatis.

22. Major itaque objecti Syllogismi conceditur à nobis de professione per accidens consideratâ, ut nuda est ac separata vel ab assensu Scripturae sacrae præbito simul & operibus, qualiter professio sola spectatur in Epicureis, vel tantum à fiduciali apprehensione meriti Christi & ejus effectis scil. operibus, qualiter professio sola est in hypocritis, qui de doctrinâ quidem Ecclesiae consentiunt, non tamen in Christum credunt.

23. Utrorumq; enim tam Epicureorum, quam hypocritarum professio non est bona hoc, quem diximus, respectu.

24. Jam ad Minorem: Fides, quæ est absque operibus, non est res bona, si abstractio illa operum sit vel privativa, vel

vel negativa, non autem quatenus significat abstractionem, precisionis seu distinctionem fidei absque operibus, quia fidei, ut est externa professio bonitas omnis consistit in cooperatione cum operibus.

25. Secunda ratio Estii sic potest formari: Fides, quæ potest esse absque professione externâ, & hominem credentem non tantum ostendit, sed etiam facit justum, non est professio fidei. Sed fides, de quâ Jacobus agit, potest esse absque professione externâ, Job. 12. v. 42. & credentem non tantum ostendit, sed etiam facit justum. Ergo fides, de quâ Jacobus agit, est professio externa.

(2.) Ratio Estii.

26. Ita Respondemus ad Majorem per distinctionem fidei, ut est professio externa, & ut significat fidem internam professam.

27. Et quidem fides professa consideratur, aut ratione essentialis suæ, quomodo potest esse absque professione externâ, aut ratione agnitionis, seu, ut notificanda est, & sic non potest esse absque professione externâ, quia fidei professio cooperatur operibus in officio notificandi fidem salvificam & justificationem.

28. Deinde eadem Major confundit officium fidei externæ, & quatenus est signum, & functionem internæ fidei, seu quatenus est signatum.

29. Respectu Prioris considerata fides externa seu confessio nunquam justificat, sed tantum ostendit justificationem, & quæ illius actum ingreditur, fidem internam, nempe fiducialem apprehensionem meriti Christi.

30. Locum Joh. 12. v. 42. quod attinet, verbum credere ibi significat externam professionem fidei, non autem salvificam, quia desit proprietas ejus necessaria & individua, velut est confessio Christi Psal. 116. v. 1. Rom. 10. v. 10. 2. Cor. 4. v. 13. Illa vero primorum fides aliorum incredulitati opposita, accipitur de fide assensitivâ, ejusque professione.

Locus Johan. 12. v. 42. vix dicatur.

31. Nec

31. Nec obstat illa periphrasis fidei, quâ dicuntur credidisse in nomen JESU. Nam illa etiam de nudo assensu, aut etiam externo actu professionis per Hebraismum usurpatur, ut Exod. 19. v. 9. cum Israëlita dicuntur credidisse in Moysen, id est, Moysi & verbis ejus assensionem præbuisse.

32. Sic in cap. 2. Jacobi fides sumitur de professione fidei externâ, quæ aliqualis signi vicem obtinet, estq; hoc loco documentum fidei assensiva tantum.

33. Sicut ergo signum non habet signati efficaciam, ita quoque professio fidei, quia non est ipsa fiducia, sed tantum signum ejus, nequaquam justificat, sed duntaxat concurrat ad notificandam justificationem.

(3.) Ratio
Estii.

34. Tertia ratio à pari petitur: Si fides Jacobi significat professionem fidei, etiam caritas notabit professionem caritatis. At consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

35. Majorem propositionem Estius putat esse claram, quia juxta hanc interpretationem licebit dicere; quid proderit fratri meo, si caritatem quis dicat se habere, opera verò non habeat, nunquid poterit eum talis caritas salvare? Nam utique caritatis professio sine operibus æquè nihil prodest.

36. Assumptum constat 1. Joh. 3. v. 17. ubi simpliciter ait Johannes, in eo, qui opere non diligit, non manere caritatem: Non autem dicit Johannes, quid proderit ei caritas?

37. Resp. Diversa est ratio fidei & caritatis professæ quoad denominationem. Nam fides, ut est notitia & assensus, & fidei salvificæ antecedens, in mente, ut autem est fiducia, in voluntate locum habet. At caritas in solâ voluntate.

38. Deinde justitia coram DEO valens nunquam dicitur caritatis, sed fidei justitia.

39. Porro negamus etiam absurditatem consequentis, quia professio quoque caritatis dicitur caritas, cum Johannes præcipit, ne diligamus verbo & lingvâ, sed & opere & veritate, & in-

& indicatur hoc dici respectu eorum, qui prius duntaxat faciebant, posterius autem omittebant.

40. Proinde subintelligi debet particula Solùm, in membro prohibitivo, sicut Gen. 32 v. 28. & c. 35. v. 10. 1. Sam. 8. v. 7. hac insertio particulae illius requiritur.

41. Similiter enim & hoc loco verba Johannis accipienda sunt: Ne diligamus verbò & lingvâ scil. tantùm, sed & opere & veritate, id est, absque furo ac hypocrisi, quæ est in his, qui verbo duntaxat diligunt.

42. Alioqui potest dilectio per verba & opera declarari, qui serio ac sincerè diligunt, cum & verbis exeratur caritas, quomodo erga hostem ostendimus affectionem benevolam, amico affatu ac solatio, ejusq; famam contra calumnias asserimus, ipsi à DEO bona quæq; apprecamur & pro eo intercedimus apud DEUM. Quò pertinet illa comparatio cum fide, Jacob. 2. v. 15. & 16.

43. Quarta ratio sic habet: Si Apostolus sentiret, eos ad quos scribit, tantùm habere fidem talem, quæ sit externa professio & jaclantia fidei salvificæ, utique eos appellaret hypocritas, non fratres. Verùm non appellat eos hypocritas, sed fratres. Ergò non sentit eos, quos describit, tantùm habere fidem talem, quæ sit externa professio & jaclantia fidei salvificæ.

(4.) Ratio
Esti.

46. Resp. Frater spiritualis dicitur aliquis vel generatim ob consensum in fide Christianâ, vel speciatim ob fidem internam, quam illum, qui se manifestis flagitiis non polluit, habere judicamus secundùm Canonem caritatis, 1. Cor. 13. v. 7. Fratres spirituales dicuntur duplici modo.

47. Deindè Jacobus non omnes fratres redarguit, sed tantùm aliquos, in quibus fidei externa professio habebat conjunctum duntaxat assensum, verbo DEI præbitum, non verò etiam fiducialem meriti Christi apprehensionem, quæ se per bona opera exerat.

E

APHO-

APHORISMUS IV. PONTIFICIU S.

Et consummata est per opera, ita ut hæc perficerent fidem habitualement & c justitiam infusam, & magis justificarent Abrahamum.

1. Sic enim Cornelius à Lapide super v.22. c.2. Epistol. Jacobi p.iii.f.2.d. commentatur: Opera in justificatione cooperantur fidei, eamq; consummant ac perficiunt in justificatione, tum quia ea tribuunt meritum vitæ æternæ, item augmentum caritatis cæterarumq; virtutum. Ex earum enim actibus iteratis seseq; intenduntibus intenditur perficiturq; habitus.

2. Resp. Totum hoc commentum oritur ex perversâ intelligentiâ συμπεργείας, ad quam fides hæc & opera concurrunt, & non-curantia scopi Apostolici, ac modi certi, quo considerat justitiam.

3. Nam illius συμπεργείας ἀποτέλεσμα est non justificatio, sed justificationis ostensio.

4. Proinde fides cooperans operibus non consummatur aut perficitur per opera in justificatione, sed ut est signum externum cum operibus concurrens ad ostensionem justificationis.

5. Cum ergò hæc fides non justificat, sed tantum notificat justificationem & fidem salvificam, non potest h.l. esse ipsa res signata, nempe fides salvifica.

6. Taceo jam reliquam conflugem errorum Pontificiorum, quibus fides salvifica per opera antecedentia seu dispositiones dicitur obtineri adultis, donec fiat habitus, & per opera habitum justitiæ consequentia augeri justitiam habitualement.

7. Resp. Apostolus non justitiam, sed fidem dicit consummari operibus, & sæpius docuimus, fide salvificâ non nos justificari, ut est qualitas inhærens major vel minor, sed ratione obje-

Quâ ratione fide justificemur.

objecti apprehensi, nempe obedientia Christi, quae per fidem apprehensa omnibus credentibus, quotquot justificantur, equaliter applicatur.

8. Ideoq; justificatio hominis peccatoris coram DEO non recipit magis & minus, nec duplicatur, ut alia sit prima, alia secunda, alia per habitum, alia per actum fidei. Quare fidei professio externa dicitur consummari, quando conjuncta cum operibus ceu signo collateralis sit absolute perfectum signum fidei salvificae & justificationis.

9. Sensus itaque verborum Jacobi est, Fides, i. e. professio fidei externa in cooperando cum operibus ostensionem fidei salvificae & justificationis fuit consummata per opera, i. e. facta est perfectum signum fidei salvificae & justificationis Abrahami.

10. Verum hic ardua oritur controversia, quomodo per opera quis possit vel agnoscere suam fidem & justificationem, vel se ipsum infallibiliter aliis probare verum Christianum, vel demonstrare, alios credentes veram salvificam fidem habere, cum etiam hypocritae splendescant bonis operibus, largiantur eleemosynas & juvent proximum.

Quomodo per opera, tum propria, tum aliorum fides agnosci queat, & qua ratione demonstratio haec procedat.

11. Resp. Jacobus non procedit affirmativè, sed negativè utitur demonstratione: Quicumque & fidei professione externâ & operibus simul non ostendit fidem suam, quod sit salvifica, neque notificat justificationem suam, ille non est verè fidelis ac apud DEUM justificatus. Tu prosopolepta, tu immisericors &c. & fidei professione externâ & operibus simul non ostendis fidem tuam, quod sit salvifica, nec justificationem tuam in actu positam esse demonstras. Ergo tu prosopolepta, tu immisericors &c. non es verè fidelis, neque coram DEO justificatus.

12. Negativè itaque concepta demonstratio est firmissima.

13. At affirmativè si fiat collectio, aliter se res habet. Nam confessio fidei & opera bona pariunt quidem apodicticam

notitiam & absolutam infallibilitatem de fide salvificâ deq; justificatione prasente, sed in eo, quia proprio experimento, ad fidei salvificæ requisita examinato, novit, suam fidem esse veram, & per illam coram DEO se justificatum, sicut hoc quatuor Disputationibus 6. 7. 8. 9. luculenter probavimus.

14. Attamen de aliorum fide verâ & justificatione non potest haberi absoluta certitudo, quia & hypocritarum opera, quæ cum professione fidei conjunguntur, apparent esse bona, ideoq; de aliorum fide & salute spiritali non nisi secundum canonem caritatis judicari probabiliter, & sic certitudo tantum probabilis absolutè haberi potest.

15. Hypotheticè verò & quatenus ille, de cujus fide & justificatione ex hisce signis judicandum est, in examine sue conscientie sincerè fateatur alteri, quod ex sui probatione experimentalis, ad verbum DEI recognitâ, etiam infallibiliter nosse potest, se verè in Christum credere. Idem certò agnosci potest ab eo, qui de ipsius statu, an verus sit Christianus, judicat, & opera ejus esse fructus veræ fidei, ac dirigi ad gloriam DEI & edificationem proximi.

16. Quare hoc prasupposito potest per regressum firmiter concludi, eum, qui verbo & facto diligit, esse verè fidelem, atque hanc hypothesein respicit Jacobus, quando utitur figurâ Rhetoricâ, quæ dicitur communicatio, & cum agit de probatione, quâ alterius fides innotescit alteri, quando ait: Ostende mihi fidem, scil. quòd sit salvificâ, i.e. quæ so, explicata notionem atque intelligentiam tuam, num censes fidem, quæ opera habet, esse salvificam?

CAPUT II.

APHORISMUS I. PONTIFICIUS.

Alterum exemplum justificationis secundum-

cundæ est Rahab, cujus fides actualis operibus cooperata etiam est ipsi imputata in justitiam actualem, ita, ut si profiteri fidem in DEUM & Mosis nuncios suscipere recusasset, non fuisset justa coram DEO.

1. Hoc probare volunt ex v. 25. cap. 2. Jacobi: Similiter & Rahab meretrix nonnè ex operibus justificata est, susceptis nunciis & aliâ viâ emissis, quasi dicat: Omnino justificata est.

2. Resp. Quosensu Rahab à Jacobo dicatur justificata esse, judicari potest ex superioribus, ubi diximus agere Apostolum de justificatione, non ut fit coram DEO, sed ut facta esse coram DEO videtur, seu agnoscitur ab hominibus, idq; ex Abrahami exemplo patuit. Jam Apostolus Rahab similiter ait justificatam. Ergò eodem modo significat quoque peractam fuisse justificationem ejus, nempe quatenus ostensa fuit hominibus & ab eis agnita, tum ex confessione istâ Josue 2. v. 11. tum ex operibus, quæ fuit 1. hospitalitas erga nuncios Josue. 2. Amor DEI, quo vicit amorem Patriæ, in cive bono aliquo vebementem, & amoris Patris ac matris judicio Platonis in Critone preponendum. 3. Ingens fortitudo.

3. Ab his virtutibus commendat Rahabem Ambrosius in Psalm. 37. Postquam fidem Abrahæ & Mosis commendasset, rom. 4. pag. 52. Quid, inquit, de viris sublimibus loquar? Rahab meretrix alienigena illa de seculo, animam tamen suam non solum contemtu omnium, quæ habebat, sed etiam vitæ periculo putavit esse redimendam, quæ exploratores Jesu Nave (id est, Josue filii Nun) civibus suis quærentibus denegavit, & hostes patriæ, Legatos tamen fidei maluit occultare, quam perdere. Non eam minæ civium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non suorum discrimina terruerunt. Disce Vir, disce Christiane,

quomodo Jesum sequi debeas, quando foemina contempsit omnia sua, & Jesum propter similitudinem nominis est secuta.

4. Merito quoque hic repetimus argumentum supra ad exemplum Abrahæ usurpatum propter similem Rahabis in justificatione rationem: Quod enim prorsus non est, ejus non potest exemplum in Rahabe præberi. At justificatio prima & secunda, ut à Pontificiis describitur, prorsus non est. Ergò earum non potest præberi exemplum in Rahabe.

Pontificio-
rum pugna
mutua in ap-
plicatione
exempli Ra-
hab.

5. Ante omnia notanda est hic iterum pugna Jesuitarum, è quibus Bellarminus exemplum Rahab dicit esse primæ justificationis. Recentiores autem illud ipsum ad secundam, potius, quam ad primam referunt, ut Estius, ad v. 23. c. 2. asserit.

6. Nec tamen simpliciter hoc audet statuere, sed comparative tantum magis ad secundam, quam ad primam justificationem respicere Jacobum.

7. Sic etiam ipse Cornelius à Lapide in v. 3. cap. 4. Epist. Rom. scribit, Rahab fuisse tantum primâ justificatione justificatam, p. 66. b. D.

8. At in Epistolâ Jacob. cap. 2. pro dialectico & in utramque partem disputabili problemate habet hanc questionem; an Rahab, antequam exciperet exploratores, fidem contritione & caritate perfectam habuerit, ideòq; justificata sit, an verò post eorum adventum & colloquium eam accepit, ita, ut eos excipiendo non sit primò justificata, sed jam justa, sit facta justior & sanctior. Utrumlibet vult esse probabile, & habere graves authores: Fuisse justificatam, inquit, ante eorum adventum, videtur indicare narratio historica Josuæ; non fuisse justificatam, svadet, quòd hic & à S. Paulo Heb. 11. 31. vocetur meretrix, nec potuit mutare gentilismum in veram religionem veri DEI Hebræorum, antequam justificari posset. Ergò debuit prius illos audire & ab eis doceri.

9. Tandem hoc presupposito concludit: Hoc si verum est, sequitur, Rahab & post, & per adventum fuisse planè ad DEUM
COR-

conversam, primòq; justificatam. Quam justitiam deinde au-
xit abscondendo ac dimittendo exploratores.

10. *Inde colligit: Quocirca Sanctus Jacobus agit, tam de
primâ, quàm de secundâ ejus justificatione, putà de au-
gmento justitiæ.*

11. *Bellarminus autem lib. 4. de justificatione cap. 18.
S. ult. propterea autumat à Jacobo allatum esse exemplum
Rachabis, quod est primæ justificationis, ut probaret à Majo-
ri, justum fieri justiore ex operibus, & non ex fide tantum, si
Rahab ex meretrice facta est justa ex operibus, non ex fide
tantum.*

12. *Nam, inquit, probabile est valdè, Rahab usque ad illud
tempus, quo suscepit nuncios Josuæ, fuisse non solum meretri-
cem, sed etiam infidelem, sed ab eo tempore credidisse in DEUM,
& præparatam fuisse ad justificationem, ita, ut bonum illud
opus ex fide factum non fuerit meritorium simpliciter justifica-
tionis, sed imperfectè, & de congruo.*

13. *Prorsus verò contrariam opinionem habet Estius ad
v. 25. cap. 2. Jacobi, quòd nimirum opere (misericordiæ)
justitia ejus non solum declarata fuerit, sed & augmentum cepe-
rit, & ad perfectionem quandam pervenerit.*

14. *Tentet mihi jam aliquis conciliationem harum
enunciationum: Valdè probabile est, Rahab usque ad illud
tempus fuisse meretricem ac infidelem, & post adventum ex-
ploratorum credidisse in DEUM, & opere illo misericordiæ præ-
paratam fuisse ad justificationem, ita ut bonum illud ex fide fa-
ctum non fuerit simpliciter meritorium justificationis, sed im-
perfectè ac de congruo; quod Bellarminus statuit. Conciliet,
inquam, aliquis hoc Bellarmini effatum cum recentiorum
Jesuitarum placitis: Rahab post adventum exploratorum
fuisse plenè ad DEUM conversam primòq; justificatam, eamq;
justitiam deinde auctam esse opere illo misericordiæ nunciis
exhibito, quod vult Cornelius à Lapide, & quod ad perfe-
ctionem quandam venerit justitia Rachabis, ut statuit Estius.*

15. *Nam*

15. Nam ex hypothefi Pontificiorum nemo justus est justificatione prima, nisi qui habitum justitiæ inherens accepit à DEO infusum; opera verò, initium à fide sumentia, præcedunt justificationem & disponunt tantum ad eam, nondum verò justificant, sed inchoant tantum justificationem. 2. Opera verò consequentia justificationem primam faciunt, ut eâ justificati sine illis non sint justî, & augent justitiâ primam, ac merentur ex condigno, non ex congruo tantum, vitam æternam. 3. Concedimus utique Rahabem fuisse meretricem.

Rahab fuit
meretrix.

17. Licet enim vocabulum רַחַב etiam Hebrais notet cautionam, tamen significatus iste non quadrat temporibus Rahab. Nam illis cautionaria nondum fuit in usu, ut probat Serarius multis exemplis è Scripturâ sacrâ in cap. 6. Tobia, quæst. 3. cum quia in Oriente præsertim ea erat ratio viatorum, ut vel humeris, vel jumentis sua ipsi secum cibaria deferrent, aut quod panis & obsoniorum vellent, id ipsum ab obsopeis emerent, tectum verò rarò meridie, sed vesperi demum, cum liceret, subirent, idq; vel apud amicos, vel certè bonos & hospitalis homines gratis vel exiguâ pecuniâ; cum quia Hebr. 11. addito articulo Rahab vocatur וְרַחַב הַמֵּרְצִיחַ, innuitur, eam fuisse famosum scortum.

Credidit priusquam exploratores venirent.

18. Non tamen hinc sequitur, eam mansisse scortum, aut gentilismum non mutasse, priusquam exploratores venirent.

19. Nam jam ante eam credidisse, satis apparet ex cap. 2. Josuæ, v. 10. cum ait: Novi, Jehovam dedisse vobis terram hanc, & quia ingruit terror vestri super nos, & quia diffluxerunt omnes habitatores istius terræ metu vestri, v. 10. audivimus enim, quando arefecit Josua aquas maris algosi super nos, cum exiretis ex Ægypto, & quæ fecistis duobus Regibus è more eorum, qui erant trans Jordanem &c. v. 11. quod audientibus nobis liquefactum est cor nostrum, neque constat animo quisq; amplius metu vestri. Et tandem subjicit eodem versu egregiam
con-

confessionem fidei sue. Nam Jehova DEUS vester est DEUS
in coelis supra, & in terrâ infra.

APHORISMUS II. PONTIFICIUS.

Ea; fides fuit consummata per opera,
id est, auctior reddita, magisq; perfecta,
ipsius justitia.

1. Resp. Fides, ut h. l. sumitur pro externâ professione
fidei, non est justitia, vel initium justitiæ, aut ejus pars, quia
cadit etiam in hypocritas, sed significat parziale signum fidei
salvificæ & justitiæ, quam adeptâ est Rahab.

2. Hoc signum similiter ut in Abrahamo consummatum
fuit per opera, id est, ipsa professio fidei cooperans operibus
fuit perfectum & infallibile signum fidei præsentis sal-
vificæ & justificationis.

3. His nequaquam obstat, quòd Jacobus ex Josuæ 2. cap.
Rahab adhuc vocet meretricem, quando ait, eam justificatam
esse.

Quomodo
Rahab post
pœnitentiam
suam vocetur
meretrix?

4. Habet enim hoc Scriptura in more positum, ut personas
denominet à vitâ antea actâ, vel etiam ab aliis affectionibus pri-
stinis, sicut Simon vocatur leprosus, Matth. 26. v. 5. non quòd
eo tempore adhuc esset leprosus. Et cum Salvator inquit:
Publicani & meretrices sunt antecessuri Phariseos in regno
cælorum, Matth. 21. v. 32. nihil aliud vult dicere, quàm eos, qui
publicani & meretrices olim fuerunt, antecessuros esse Phari-
seorum sectam in regno cælorum.

5. Hoc patet ex Logicâ doctrinâ de conversione: Rahab
meretrix, fuit justificata coram DEO, ubi non licet inferre.
Ergò Rahab coram DEO justificata est meretrix, sed Rahab,
quæ justificata est coram DEO, fuit meretrix.

6. Ita benè explicat hoc Origenes hom. 3. in Jos. tom. 1.

pag. 291. Vides, quomodo illa, quæ aliquando erat meretrix, & impia, & immunda, nunc jam Spiritu Sancto repleta est.

7. Et de præteritis quidem proficitur Jos. 2. v. 10. de præsentibus credit, v. 11. Propbetat denique & præannunciat de futuris v. 9. itaque nec scortum, nec gentilis mansit Rahab, usque dum advenirent exploratores, quia jam tunc credebat.

8. Hisce non adversatur, quòd Josuæ 6. v. 26. Rahab dicatur ab exploratoribus cum familiis suis edueta extra castra Israël, & proselyta facta habitaverit inter Israëlitas, v. 28.

πρὸς ἄλλοις
fuerunt du-
plicis generis.

9. Duplices enim fuerunt πρὸς ἄλλοις, alii quidem DEO Israël crediderunt, sed inter Israëlitas non habitârunt; alii verò religionem Israëlitarum susceperunt, ita, ut simul habitarent inter illos, & matrimonia inirent cum illis.

10. Et prioris generis proselyta fuit Rahab, quoad primùm est ad DEUM Israël conversa, usque dum Jericho destructa est. Dehinc posterioris generis proselyta est facta. Et hoc genus significatur per habitationem in Israël.

11. Huc facit testimonium Apostoli Hebr. 11. v. 31. per fidem Rahab meretrix illa non periit cum incredulis, postquam cum pace, i. e. benignè seu benevolè hospitio excepisset exploratores.

12. Neque est, ut objiciatur, Rahab fuisse ingratham in patriam, atque ita atrociter in quartum præceptum peccasse, tunc etiam mentitam fuisse, Josuæ 2. v. 4. quare non potuisse eam habere fidem veram.

13. Resp. enim ad primam objectionem, quòd certi sint limites amoris & reverentiæ erga patriam positi, non minùs atque erga parentes, Matth. 10. v. 34. qui Matrem & Patrem plus diligit me, non est me dignus, & Luc. 14. v. 26. qui venit ad me, & non odit Patrem, Matrem &c. adeòq; animam suam, non potest meus esse discipulus. Ephes. 6. v. 1. habetur: Obedite in Domino Parentibus vestris; hoc enim justum est.

14. Jam

14. Jam Rahab ex amore DEI odio habuit, id est, post habuit patriam, tunc, quando ejus amor non potuit subordinari amori DEI, qui volebat perditam urbem Jericho, praesertim, cum sciret jam, ac certa esset, gentem suam, a DEO ipso esse proscriptam, atque Israëlitis cum suis possessionibus deditam.

15. Ad alteram objectionem respondemus, occultationem illam veritatis in Rahab non esse propriè mendacium, quia proficiscitur ex amore DEI, quo mota non vult innocentes nuncios prodere Regi suo. Rahab non est mentita.

16. Nam si fide excepit & in pace dimisit Rahab nuncios, Hebr. 11. utique etiam fide occultavit illos. Opus autem fidei non potest esse peccatum.

17. Porro, quia sine fide Messie nemo etiam in Veteri Test. potuit salvari, ideò Rahab etiam per talem fidem justificata est coram DEO.

18. Ea q̄ fides salvifica & justificatio ejus ceu signatum se se prodidit per confessionem & opera.

19. Et Patres dicunt funiculum ex filis coccineis, quem Rahab in fenestrâ ligavit, denotasse Christi sanguinem, ut Justinus in Dialogo cum Triphone pag. 265. docet. Patrum meditatio de funiculo Rahab.
Funiculi Coccinei signum, τὸ σύμβολον τῆς αἱματὸς Χριστοῦ ἐδή-
λῃ, præ se tulit solum sanguinis Christi; per quem vetuli fornicatores, & iniqui homines ex gentibus omnibus salvantur, remissionem peccatorum recipientes & ulterius non peccantes.

20. Sic Hieronymus in Epist. ad Nepotianum de vita Clericorum non longè à principio: Rahab meretrix in typo Ecclesiae resticulam, mysterium sanguinis continentem, ut Hiericho pereunte domus ejus salvaretur, appendit.

21. Et Glossa ordinaria in Jos. cap. 2. Ipsa pannum coccineum ponit in domo suâ, per quem salvetur ab excidio civitatis, coccineum scil. quod sanguinis formam gerebat. Sciebat enim, quod nulli esset salus, nisi in sanguine Christi. Si quis salvari vult, veniat in hanc domum, in qua Christi sanguis est solum redemptionis. Nemo ergo extra Ecclesiam salvatur, qui foras exit,

exit, mentis suæ teus fit. Hoc est sanguinis signum; quia hæc est sanctificatio, quæ per sanguinem constat.

CAPUT III.

APHORISMUS I. PONTIFICIUS.

Sanè fides vera est absque operibus.

Pontificii fides & opera separant.

1. Probant hoc Pontificii ex textu, 1. quia Jacobus testatur, eum, qui credit, quòd DEUS sit unus, faciat καλῶς, v. 19 Syrus שפיר pulchrè, à radice שפח pulchrit. 2. Quia fides hæc comparetur corpori, non habenti vitam, seu mortuo. At corpus mortuum est corpus verum absque vitâ. Ergò etiam fides, quæ est absque operibus, est vera.

Refutantur.

2. Resp. ad primam rationem. Verba Jacobi v. 19. certo modo intellecta concedimus, nempe si accipiantur de verâ fide in suo genere, id est, vel de professionis actu externo, vel etiam de certo actu professo, nempe fide assensitivâ, sicut à quibusdam Patribus hoc loco sumitur verbum credere.

3. Est enim unitas DEI articulus valdè necessarius, cujus assensum & professionem requirit Christiana religio.

4. Sed comparative spectata professio fidei, ut & assensus verbo DEI præbitus, prout ista excludit signum σὺνεργον, nempe opera, hic autem in hypocritas etiam cadit, non est vera fides, quæ possit vel salutem infallibiliter ostendere, vel etiam salvare hominem.

5. Ad alteram rationem Resp. Cùm Jacobus fidem absque operibus comparat corpori mortuo, intelligit corpus animalis mortui. At corpus animalis mortui est æquivocè corpus, & cadaver. Mors enim aufert corporis animalis, dum moritur, animam seu formam propriam sive speciem, quam habebat antea, & relinquit tantum genus, ut dici quidem possit corpus, sed non corpus animalis, equi, hominis &c.

6. Habet quidem corpus recens mortuum externa corporis
bu-

humani membra, sed tamen destituta muniis suis, ideòq; non est nisi inanime & inane cadaver.

7. *Quare etiam Didymus, cujus Commentarius reperitur in Tomo 9. Bibliothecæ Patrum, super hunc locum corpus mortuum explicat per hominem mortuum, & utrumque pro eodem sumit, cum ait: Notandum, quia, cum fides mortua sit præter opera, jam neque fides est. Nam neque homo mortuus homo est. Et Jacobus Pontanus Jesuita paucis abhinc annis ex Græco transtulit Simeonis junioris Orationem septimam, in quâ gemina sententia reperitur, referente Lorino in v.17. hujus cap. 2. Similiter ergò & fides absque operibus est mortua.*

8. *Mirum itaque est, quòd Bellarminus lib. i. c. 15. §. quare illa. Item Salmeron ad v. 26. hujus capituli, nec non Lorinus, ut & Feuardenius ad v. 17. ejusd. cap. 2. Jacob. tantoperè freti sint hoc ficulneo fundamento. Corpus mortuum est verum corpus, licet non sit vivum. Ergò & fides mortua est vera fides, licet non sit viva.*

9. *Nos ex mente Jacobi cap. 2. v. 26. talem reponimus analogismum: Sicut homo mortuus non est verus homo: Sic fides mortua non est vera, id est, salvifica fides.*

APHORISMUS II. PONTIFICIUS.

Non tamen est efficax, nec prodest ad salutem.

1. *Quia fides, de quâ agit Apostolus, significat professionem fidei, efficaciam ejus, ut hætenus sæpè diximus, non exercitur in efficientiâ salutis, sed cooperando ostensionem fidei & salutis, vers. 21. Sicut expressè hoc officium ipsi tribuit Jacobus cap. 2. v. 22.*

2. *Absque cooperatione verò si sit, non consummatur fides in ostensione fidei salvificæ & justificationis, sed est in-*

completum ejusdem signum, & nudus assensus, imò res mor-
tua.

3. Quòd si autem de fide professà etiam accipiatur vox
fidei, uti Patres quidam solent sumere, nempe de fide assensi-
tivà, quæ est absque operibus, tunc etiam omnino concedimus,
nullam talis fidei esse efficaciam & utilitatem ad salutem effi-
ciendam, quia fides vera, id est, verè salvifica, nunquam est
absque operibus, spectatis in radice suà, ut nominat Estius,
quæ est pium propositum & studium bene operandi.

Efficacia fidei
est duplex.

4. Hæc namque est efficacia fidei salvifica secundaria,
nempe ut sit operosa per caritatem, Gal. s. v. 6. postquam pri-
mariam suam operationem exeruit in apprehendendâ Christi
obedientiâ,

5. Sic enim fides ceu organica actio apprehendit meritum
Christi, ac sola potest salvare ex parte nostrâ, & prodest ad
salutem absque operibus, id est, ut opera nihil conferant ad ju-
stificationem & salvationem, sive consequantur fidem, sive
eam antecedant, quale opus est assensus & contritio. Nam as-
sensus verbo Dei, & sic etiam promissioni gratia, meritum Chri-
sti apprehendendum offerenti, præbitus, & contritio, non sunt
medium organicum, quod justificationis & salvationis actum
ingreditur, sed tantum sunt media ordinis, quæ prærequi-
runtur, ut necessaria antecedentia fidei salvificæ ac salutis,

APHORISMUS III. PONTIFICIUS.

Fides sine operibus est nuda, sive solita-
ria & otiosa.

Fides ut non
uno modo
sumitur, ita
non uno tan-
tùm respectu,
sed vario di-
citur nuda ac
sola.

1. Nuditas & solitudo, ut sic loquar, fidei, & non uno respe-
ctu dicitur, quia fides præsens non uno modo sumitur.

2. Fides externa dicitur nuda vel sola, quando non coo-
peratur operibus.

3. Fi-

3. Fides assensitiva dicitur nuda, quando non conjuncta est tam cum fiduciali apprehensione meriti Christi, quam cum proprietatibus & effectibus propriis hujus apprehensionis.

4. Denique sola fides salvifica & fiducialis apprehensio meriti Christi dicitur justificare longè alio respectu, quam assensus & professio externa fidei.

5. Dicitur enim sola justificare ex parte nostrâ, & nuda esse hætenus, quatenus absque operibus justificat, non verò quatenus absque operibus est.

6. Similis ambiguitas est in phrasi, absque operibus, quæ notat vel separationem operum à professione fidei & assensu, vel eorum à fide salvificâ distinctionem.

Absque operibus esse notat vel separationem, vel distinctionem.

7. Illa simpliciter excludit conjunctionem operum cum fide; hæc verò tantùm eorum conjunctionem cum fide salvificâ negat, quatenus illa justificat.

8. Ab eadem distinctione pendet etiam dextra intelligentia phræos, quando Jacobus Apostolus inquit: Fides absque operibus est mortua in se.

Fides in se mortua esse dicitur absque operibus dupliciter.

9. Nam tò per se itidem notat vel separationem operum, quæ simpliciter excludit omnem conjunctionem eorum cum fidei professione & assensu, vel notat distinctionem duntaxat operum à fide salvificâ, quæ excludit opera non ratione præsentia omnimoda, sed tantùm, ut non simul ingrediantur in justificationis actum.

10. Priori modo usurpat Jacobus c. 2, in allegato v. 17.

11. Posteriori modo fides in se considerata est nihil aliud, quam fides vel natura, vel proprietatis sue respectu considerata.

12. Denique otiosa fides est, quæ non operatur, cum potest ac debet operari, quam otiosi definitionem dat Scaliger exercit. 6. Sect. 9.

13. His præstructis dicimus, fidem externam seu professionem

sionem fidei, quando in se spectatur, id est, separata est absque operibus, esse nudam & solam, i. e. non cooperari operibus.

14. Similiter & assensum illum esse nudum, quando non est conjunctus cum fiduciali apprehensione meriti Christi, sive illa consideretur ratione primariae suae operationis, & quatenus justificat: sive secundariae, ratione conversationis Christianae, cujus est potissima pars, Gal. 5. v. 22. Nam assensus potest esse nudus, ut in hypocritis fieri solet, quatenus est absque apprehensione meriti Christi & absque charitate.

15. Utraqve igitur fides, id est, & professio fidei & assensus hoc modo nuda sunt, ut existant absque operibus.

16. Cum enim Jacobus fidem sine operibus dicit esse mortuam, cap. 2. vers. 20. intelligit confessionem fidei & assensum. Et illa determinatio: Sine operibus, ad subjectum pertinet, ut sit sensus: Fides quae est vel existit absque operibus: quia in verbis Apostoli est locutio elliptica ex omissione articuli, cujus exempla etiam sunt Johan. 5. v. 36. 1. Johan. 2. v. 2. 1. Pet. 1. v. 7.

17. Nam eadem est enunciatio, cum dicit Apostolus: ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων, Fides absque operibus, est mortua: cum ista, ἡ πίστις, ἡ χωρὶς τῶν ἔργων, Fides, quae est absque operibus, mortua est.

18. At fides salvifica nunquam verè dici potest, quòd otiosa sit, quia semper est operosa, id est, non renuit operari, quando debet operari per caritatem: Licet in ipso actu justificationis non operetur per caritatem, quia tunc debet aliam ἐνεργεῖαν ostendere, nempe apprehensionem meriti Christi.

Fides quo in sensu dicatur sola justificare.

19. Cum verò fidem dicimus solùm & absque operibus & per se justificare, hoc volumus, quòd nihil sit aliud, quòd apprehendere possimus justitiam coram DEO valentem, quàm fides.

20. Quando ergò ita argumentantur Pontificii: Fides mor-

mortua non justificat; Fides absque operibus est fides mortua.
Ergò fides absque operibus non justificat.

21. Respondemus, *determinationem* subiecti *perperam* *connecticum* prædicato. *Verus namque sensus majoris propositionis est*: Fides, quæ est, vel existit absque operibus, est mortua. *Non autem vera est propositio, quando determinationem hanc adjungo prædicato*: Fides est mortua absque operibus. *Sequeretur enim fidem vivere per justificationem cum operibus, seu, ad essentialem actum justificationis requiri opera.*

22. Porro verò instant ex cap. 5. Gal. v. 6. Quod non est solum, illud solum non justificat. Sed fides non est sola & absque operibus. Ergò fides non justificat sola & absque operibus.

23. Resp. ad Majorem per inficiationem: *Aliud enim est absque operibus esse, aliud, absque operibus justificare. Fides justificans nunquam est absque operibus. Sed tamen absque operibus, teste Apostolo, justificat.*

24. *Nullius enim rei essentia unquam est sola, sed semper habet adjunctas suas proprietates, & suos proprios effectus, cum tamen de essentiâ rei sermo est, distinguuntur proprietates istæ ab essentiâ, quia eam non constituunt, nec sunt partes essentielles rei, quamvis sint inseparabiles à re, ita, ut ne intellectu quidem possint abstrahi vel privativâ vel negativâ abstractione.*

25. *Jam caritas & operatio per caritatem non est de essentiâ justificationis, aut essentialis pars justitiæ, coram DEO valentis ad justificationem, sed proprietas ejus, ideòq; non potest ingredi actum justificationis.*

26. *Nec aliud vult Paulus Gal. 5. v. 6. Licet enim loquatur de fide justificante, non tamen de eadem agit, ut justificat, seu prout operatur per caritatem, quæ est potissima pars conversationis Christianæ, Gal. 5. v. 22.*

27. *Hinc ita argumentamur*: Qui locus agit de fide justificante,

G

cante,

Locus Pauli
Galat. 5. v. 6.

cante, quatenus operosa est per caritatem, ille non agit de fide justificante, quatenus justificat. Hic locus, Gal. 5. v. 6. agit de fide justificante, ut operosa per caritatem. Ergò non agit de fide justificante, quatenus justificat. Major probatur, quia operari non est justificare. At fides spectata ratione conversationis Christianæ operatur. Ergò fide spectatâ ratione conversationis Christianæ non justificamur.

28. Unde distinctissimæ manent propositiones: Fides salvifica non est absque operibus, vel: Fide, quæ est absque operibus, non justificamur, ab his: Fides justificat per caritatem & cum operibus, seu, Fide non justificamur absque operibus, & Fide justificamur, quatenus est operosa per caritatem.

29. Prioris generis enunciationes ut veras ambabus manibus amplectimur. Posterioris autem generis propositiones cum assertioni Pauline contrarias rejicimus.

30. Minor probatur ex cap. 5. Gal. v. 13, ubi hortatur Apostolus, ut libertatem, quâ Christus nos liberavit, bene collocent in conversatione Christianâ, neque illam in abusum trahant, Spiritu incedant, vers. 25. ac DEO gratitudinem debitam præstent, & proximo inserviant, opera verò carnis ne faciant, v. 17. 19.

31. Deinde conclusionem principalem ab absurdo probamus: Si fides non justificaret absque operibus, sed Paulus in cap. 5. Gal. v. 6. requireret opera ad justificationem, sequeretur tantum Apostolum sibi met ipsi contradicere, quia in cap. 2. v. 16. tribus vicibus asseruit, nos fide & non ex operibus legis, id est, præstantissimis, & quantacunque ab hominibus in hac vitâ præstari possunt, justificari. Ac sequeretur palam absurdum. Ergò & antecedens.

32. Denique & fidei professio externa, & fides assensitiva potest esse otiosa: ista quidem; cum non cooperatur operibus in fide salvificâ & justificatione infallibiliter ostendendâ:

dendâ: hæc autem; quando non habet conjunctos vel actus
essentiales, vel effectus proprios fidei justificantis.

33. Fides verò justificans, nunquam potest dici otiosa,
quia non renuit operari, cum debet operari per caritatem.
Hinc nec fidei, nec caritati ideò tribuendum est otium, quan-
do in somno, vel aliàs etiam non operatur, cum operari non
debet, modò, cum exigitur ejus actus, non renuat operari.

APHORISMUS IV. PONTIFICIUS.

Est informis.

1. Estius in cap. 2. Jacobi Pontificiam distinctionem fidei Fidei distin-
ctio in infor-
mem & for-
matam.
in informem & formatam ex v. 26. dicit non modò esse scho-
lasticam, sed & Catholicam: Esse enim fidem informem
Apostolo velut corpus inanime, formatam autem esse velut cor-
pus animatum.

2. Idem vult elicere ex loco Galat. 5. v. 6. ubi fides dicitur Pontificio-
rum pro istâ
distinctione
Rationes.
ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης. Nam Participium ἐνεργουμένη expo-
nit sensu passivo, fides quæ operatur, id est, actuatur &
agitatur per caritatem: eumq; verbi ἐνεργουμένη significatum
sic defendit, ut audacter affirmet, eum apud sacros & profa-
nos Scriptores obtinere semper, nec unquam activè accipi.
Id quod etiam confirmare vult suffragio Paraphrastæ Syriaci
& Tertulliani.

3. Denique ex Patribus quasdam fidei descriptiones, quæ
ita se habeant, ut ab amore DE I petatur differentia fidei, Pa-
pistæ afferunt.

4. Resp. Quo respectu fides salvifica comparetur corpori Responsio ad
primum pro-
bationis ge-
nus.
vivo, & nudus assensus, ejusq; professio sola corpori mortuo as-
similetur, sequentis Aphorismi Pontificii refutatio docebit.

5. Et quidem fidem, ut assensus est, rectè dici posse forma-
tam, Lutherus etiam concedit Tom. 4. Jen. Latin. p. 155. b. Quò sensu fi-
des dici pos-
sit formata.
non quidem ratione formæ internæ, quam fides assensitiva

in se habet, sed ratione formæ extrinsecæ, nempe caritatis posse formatam dici, i. e. non fictam aut hypocriticam. At qui fides assensitiva non est fiducialis apprehensio, quæ justificat, verum præsupponitur tantum, quatenus fiducia non potest collocari in promissionem incognitam ac certo assensu non comprobata.

6. Non autem sequitur: Assensus animatur per caritatem operosam. Ergo assensus talis per hoc, quod assentitur promissionibus gratiæ, & quatenus per caritatem operatur, est salvificus. Nam fides, quæ de agit Apostolus Gal. 5. v. 6. est fiducialis apprehensio rei justificæ, eaq; dicitur ἐνεργητικὴ, operosa & efficax esse per caritatem, non quatenus justificat, sed prout spectatur ratione conversationis Christianæ, ut paulò antè diximus.

7. Verum enim verò tandem eò amentia deveniunt Scriptores Pontificii, ut fidei nullam efficaciam in justificatione relinquant. Sic enim Alphonsus de Castro lib. 7. adversus hæreses, hæc. 2. scribit: De fide etiam formatâ caritate non admittimus, quod sola justificat. Nam si fides, ut justificare possit, opus habet caritate, multò veriùs caritas dicenda est justificatrix, à quâ habet fides, ut justificet, quàm ipsa fides, quæ per caritatem justificat. A formâ enim, quæ rei perfectionem præstat, capitur ipsius rei ut substantia, ita proprietas & denominatio. Et Franciscus Turrianus pro Epistolis Decretalibus lib. 4. cap. 4. Fides, neque quando sola est, justificare potest, neque quando cum caritate est, suâ tantum ratione justificat, sed ratione caritatis, quæ eam perficit & sanat, ac facit, ut sit virtus DEO placens.

8. Hoc autem modo, ut Luth. Tom. 4. Jen. Lat. in Commentario posteriori Epistolæ ad Gal. c. 3. rectissime dixerit, caritas veluti est forma, & fides pura materia caritatis. Hoc est præferre caritatem fidei, & tribuere justitiam non fidei, sed caritati, quia propter quod unumquodque tale est, illud magis est tale. Itaque cum non tribuunt fidei justitiam, nisi propter caritatem fidei,

fidei, nihil tribuunt. *Pergit Lutherus: Si caritas est forma fidei (scil. justificantis, quatenus justificat) cogor sentire ipsam caritatem esse maximam partem Christianæ religionis, & sic amitto Christum, sanguinem, vulnera, & omnia beneficia, & inhæreo caritati, & venio in facere morale.*

9. *Quomodo verò fidei forma accidentaria sit caritas, Cornelius à Lapide in cap. 5. ad Gal. prolixum instituit discursum, cum ita scribit: Fides operatur per caritatem, non sicut causa efficiens operatur per instrumentum suum, sed sicut dispositio operatur per formam, ad quam disponit, uti calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationem, lignumq; ignire & in ignem convertere. Ita fides per caritatem operatur, bona opera efficiendo, scilicet actus caritatis DEI & proximi, ac imperando actus aliarum virtutum. Caritas enim est quasi forma non essentialis, sed accidentaria, quæ fidei & omnibus bonis operibus vitam, valorem & meritum tribuit, in ordine ad ultimum finem. Caritas enim fidei ac reliquis virtutibus omnibus dat primò statum virtutis. Ubi enim est caritas, ibi exultat virtutum, regnat virtus, suumq; habet statum & regnum, aliasq; virtutes hoc eodem statu & regno suo donat, ut inde absolute virtute præditus, justus, ac sanctus denominetur. Secundò, caritas tribuit eisdem operibus dignitatem, vim & efficaciam merendi, eò quòd faciat hominem divinum, DEI amicum & filium, & consequenter opera illius efficit divina, digna & grata DEO, ut iis DEUS promittat æterna præmia. Tertiò, tribuit eisdem ordinem ad ultimum finem, cum totum hominem omniaq;, quæ in eo sunt, dirigit ad DEUM, DEIq; amorem & laudem.*

1.
2.
3.

10. *Sed omnia hæc pronuntiata sunt Populæ & verbo DEI contraria. Nam fidei efficacia non pendet à caritate, tanquam ex causâ, sed propterea dicitur operosa esse per caritatem, quatenus fides salvifica exserit & exercet efficaciam suam in caritatis excitatione.*

Refutatio
primi fictiti
effectus cari-
tatis.

11. *Itaque cum fides operari dicitur per caritatem, vocula Per non significat causam formalem, sed velut instrumentum, per quod operatur causa principalis, illud dirigens.*

12. Jam quis nescit, quòd instrumentum habeat vim, motum & actiones non à seipso, sed à fabro, operatore seu agente? Quis enim diceret, securis dat vitam & motum secandi fabro? navis dat vim & motum navigandi nautæ, & ut Esai. c. 10. exemplum adducam, quis dicet, ferra trahit fabrum, & baculus levat manum? Non dissimile est, quòd Pontificii dicunt, caritatem esse formam fidei, seu tribuere vim & motum fidei seu justificare &c. *ut verba Lutheri in cap. 5. Gal. v. 6. p. 155. b. nostra faciamus.*

Undenam sit
distinctio
Pontificia fi-
dei in infor-
mem & for-
matam?

13. *Et tota hæc opinio Papistica fluit ex primâ istâ falsitate, quòd statuunt, justificationem esse alterationem aut transmutationem quandam qualitatum animi, quâ ex injusto aliquis fiat justus & sanctus.*

14. *Longè autem aliud docet Scriptura, dum testatur, nos fieri justitiam in Christo, sicut ille à DEO factus est peccatum pro nobis: i.e. nos in Christo, seu propter ejus justitiam fide apprehensam, reputari justissimos, sicut Christus omnium maximus peccator fuit æstimatus in oculis DEI, propter peccata nostra ipsi imputata, 2. Cor. 5. v. ultimo.*

15. *Proinde prorsus aliena est similitudo, quam Cornelius à calefactione petit, quia fides non justificat ut dispositio, vel etiam ut habitus, sed correlativè & vi meriti Christi, quod illa fiducialiter apprehendit. Insuper meritum bonorum operum propriè dictum, nullum est, ut in Disput. 10. & 11. plus satis diximus.*

Responsio ad
secundum fi-
ctitium effe-
ctum.

16. *Secundò, neque dignitas meritoria conciliatur operibus ex justificati amicitia cum DEO & ejusdem adoptione. Sic enim dicta amicitia & adoptio non contingit propter qualitatem aliquam inherentem, sed propter imputatum per fidem meritum Christi. Ad argumentum autem de dignitate operum prolixè responsum est in Disputatione 4. nec non in Disputatione 11. c. 4. aph. 2. Pontif. §. 51. & seqq.*

17. *Et valor, verbo ἰξὺς significatus, h. l. notat non dignitatem aliquam operum, sed utilitatem tantum, ut est
Matth.*

Matth. 5. v. 13. Si sal infatuatum fuerit, eis & dēv ignōs, nihil valet amplius, id est, nihil prodest.

18. Nec obstat Phrasis, quā Paulus dicit, in Christo JESU nihil valere, nisi fidem, quæ per caritatem operosa est.

Nam esse in Christo JESU significat non tantum participem esse meriti Christi, per fidem imputati, sed etiam includit hæc phrasis propositum novæ obedientiæ & studium sanctimoniam.

In CHRISTO
JESU esse,
quid sit?

19. Nimirum esse in Christo, est esse Christi, ut loquitur Apostolus hoc ipso capite, vers. 24. & induere Christum, c. 3. v. 27. id quod fit duobus modis: 1. induitur Christus ut donum, quando veste justitiæ ipsius amicitur homo credens, ne in judicio DEI appareat nuditas ac foeditas ejus. 2. ut exemplum, ad imitationem nobis propositum, Rom. 12 v. 14. Itaque esse in Christo JESU, nihil aliud est, quam esse verum Christianum, qualem facit fides in Christi meritum, & contestatur studium novæ obedientiæ.

Christus duobus modis induitur.

20. Totam itaque Christianam vitam Paulus h. I. pingit, ut sic absolute sit Christianus, intus coram DEO per fidem, foris coram hominibus per caritatem, sicut iterum loquitur Lutherus in cap. 5. Gal. pag. 156.

21. Porro caritas dirigit quidem actus virtutum ad gloriam DEI & proximi utilitatem, sed ita, ut ipsa quoque dirigatur à fide salvificâ; quatenus fides facit, ut caritas erga DEUM & proximum tum existat ac ferveat, tum etiam DEO placeat, & imperfectio illius veste justitiæ Christi contegatur.

Charitas & dirigit, & ipsa quoque dirigitur.

22. Postremo caritas præbet ordinem ad ultimum finem seu vitam æternam, non ut medium causale, sed ut medium nudi antecessus, seu via tantum & non causa vitæ æternæ. Neque enim bona opera antecedunt vitam æternam, consideratam quoad jus possidendi illam, sed tantum quoad possessionem ipsam vitæ æternæ, quam gratis & non propter

Responsio ad tertium fictitium effectum caritatis.

ope-

opera, sed tantum post opera confert credentibus. Vide Disput. 10. c. 2. aph. 8. §. 2. 3. 4. & sequentibus, nec non Disp. II. c. 4. aph. 1. §. 3. & seqq.

23. Non itaque hæc distinctio fidei informis & formata, in sensu Pontificio accepta, est Catholica, sed potius pestilentissima & Satânica glossa, ut Lutherus eam nominat in Tom. 4. Latino c. 3. Gal. v. 21.

Fides formata Pontificiis dicitur tripliciter.

24. Caterum, ut ex Estii scriptis colligere est, Pontificii tripliciter accipiunt formatam fidem.

25. 1. Fidem secundum quid formatam nominant assensum conjunctum cum caritate, ut initium sit ac dispositio, justificationi hominem reddens idoneum, & aptum ad diligendum DEUM ac proximum, notetque affectum sinceri amoris erga DEUM, ut summum nostrum ac beatificum bonum, & erga proximum, eodem, quo nos ipsos diligimus, affectu diligendum. Et hæc caritate catechumenos & poenitentes ferventer DEUM orare, jejunare, eleemosynas largiri, peccatorum suorum veniam cum verâ eorum obtestatione, cumque spe & fiducia istius veniæ requirentem. Eandem tamen fidem, etiam secundum quid informem esse statuunt, ratione caritatis gratificantis, quæ sit amicitia cum DEO habitus, per quem & amicus & filius DEI quis constituitur, & heres regni cælestis, quique proinde solis competat regeneratis per Baptismum & reconciliatis per Sacramentum poenitentia.

26. Deinde fidem omninò vel simpliciter formatam, nominant assensum habitualem, conjunctum cum habitu caritatis infuso. Ita differit Estius ad v. 3. 1. Cor. 13. nec non cap. 2. Jac. ad v. 26. pag. 1118. b.

27. Postremò, fidem caritate perfectâ formatam censent etiam esse assensum actualem conjunctum cum operibus, ex quibus homo justificetur in actu, sicut per habitualem justitiam formaliter justus est in habitu, ut vult Estius in c. 2. Jacobi ad v. 21.

28. Resp.

28. Resp. autem 1. Jam antè docuimus, assensum non ingredi actum justificationis, sed prærequiri ante illam duntaxat, ut necessarium antecedens.

29. 2. Caritatem quidem fidei, tum ut professio externa, tum ut assensus est, concessimus §. 5. sano sensu posse dici formatam, quatenus non est ficta, nec hypocritica, sed vera ac sincera.

30. Veruntamen, cum nec assensus, nec caritas justificent, sequitur etiam assensum conjunctum cum caritate non justificare, ac proinde caritatem non esse formam fidei justificantis.

31. Quare nec ex parte vel secundum quid forma fidei activa erit caritas, prout est actio secundum istum habitum.

32. Tacemus jam habitum caritatis infusum non dari, ut Disput. superiori in refutatione Aphor. 1. Pontificii sch. §. 16. usque ad 20. probavimus; unde sequeretur, nullos esse justificados.

33. Porro Sacramentum Baptismi, ut & absolutio à peccatis, sunt quidem instrumenta operativa justitiæ inherentes, sed non justitiæ salvificæ, verum sunt organa exhibitiva justitiæ Christi, ut est imputabilis, quam offerunt tum promissiones DEI, quarum vigore absolutio remissionem peccatorum huic & illicredenti in specie impertitur, tum Sacramenta propriissime sic dicta, inter quæ pœnitentia, cujus formam constituent Pontificii absolutionem à peccatis, malè connumeratur, uti patet ex inductione requisitorum essentialium ad naturam propriissime dictorum Sacramentorum pertinentium, quæ in pœnitentiâ non inveniuntur.

Baptismus & absolutio
quæ sunt instrumenta.

34. Hinc patet & ille error Pontificius, quòd Sacramenta justificent ex opere operato, id est, vi suæ justificationis.

Sacramenta
quomodo justificent?

35. Cum enim Sacramenta, ut & absolutio à peccatis sint velut manus DEI, offerentis veniam peccatorum, credentibusque conferentis & Christi justitiâ applicantis, atque ita non ju-

H

stifi-

stificent, ut instrumenta operantia rem justificam, sequitur, quòd nec vi suæ actionis operentur rem justificam, quæ cum jam antè à Christo sit acquisita & parata, non potest produci effectivè per Sacramenta, aut per Evangelium, ac per promissionem gratiæ. Vide 8. Disputat. cap. 4. Aphor. secundi scho- lion.

Responsio ad
secundum
probationis
Estianæ ge-
nus, in quo
primum ar-
gumentum
sumitur à ge-
nino signifi-
catu vocis
ἐνεργείων.

36. In altero probationis genere, pro hac distinctione, quòd sit Catholica, Estius tria affert argumenta, quorum primum sumit à nativâ & perpetuâ significatione verbi ἐνεργείων, quam dicit semper esse passivam.

37. Sed falsò. Nam omnia exempla, quæ adducit, loquuntur de causâ operationis, non verò de effectu producto, uti Rom. 7. v. 5. 2. Cor. 1. v. 6. 2. Corinth. 4. v. 12. 2. Thess. 2. v. 13. Jacobi 5. v. 16.

38. Quamvis enim aliqua horum etiam passionem significent, quæ ab actione reciproca proficiscitur, ideòq; ab interpretibus nonnunquam per verba passiva exponantur, non tamen omninò sensum activum excludunt.

39. Ita παθητικὰ ἐνεργείων dicuntur ἐνεργείων, Rom. 7. v. 5. quòd sint efficacia, unde Luther. vertit: Die sündlichen Lüste waren kräftig / quia mox sequitur effectus illorum παθητικῶν, ut fructificarent morti.

40. Sic 2. Cor. 1. v. 6. σωτηρία ἐνεργουμένη ἐν ὑπομονῇ dicitur, quæ ostendit se operosam & efficacem in patientiâ, sicut Lutherus vertit: Welches Heil beweiset sich / so ihr leidet mit Geduld. Et Vulgatus quoque activam significationem agnoscit, cum reddit: Operatur patientiam.

41. Item 2. Cor. 4. v. 12. Mors ἐνεργείων in nobis, vita verò in vobis, sermo est de passionibus mortiferis, quotidie se in Paulo exerentibus. Lutherus: Der Todt ist mächtig in uns.

42. Denique 2. Thessal. 2. v. 7. mysterium iniquitatis, id

id est, profunda & occulta iniquitas dicitur ἐνεργεῖσθαι, jam-
dum operari, scil. Papo Casareatum seu dominatum Antichri-
sti. Ubi Lutherus eleganter vertit: Keget sich. Quasi dicat,
sensim incipit sese exerere.

43. Postremus locus est Jacobi 5. v. 6. ubi oratio iusti dicitur
ἐνεργησάν, i. e. efficax esse, quia est medium impetrandi
ea, quae petuntur à DEO, vel etiam, quia fervida est & serie-
tatem suam exerit. Unde Lutherus: Wenus ernstlich ist.

44. Cetera tamen exempla manifestè activum sensum
probant, ut Ephes. 3. v. 20. cum virtus DEI dicitur ἐνεργησάν.

45. Et 1. Thessal. 2. vers. 13. cum sermo DEI dicitur esse
ἐνεργησάν, efficax in Thessalonicensibus, quatenus fidem ope-
ratur in iis, sicut de hac ejus efficacia tractat Epist. Heb. c. 12.
Alioqui si passivè esset exponendum verbum illud, non sine
magna absurditate dicendum esset, quòd credentes aliquam
vim tribuant sermoni.

46. Similiter Ephes. 3. v. 20. & Col. 1. v. 29. δύναμις ἐνεργη-
σάν & ἐνεργεῖα ἐνεργησάν non passionem, quae receptio est
ἐνεργεῖας actionis vel operationis, sed actionem evidenter signi-
ficant, vulgati interpretis adstipulatione.

47. Similiter ergò & ad Gal. 5. v. 6. caritas ἐνεργησάν ἀγα-
πῆς ἀγάπης, non est caritas, quae actuatur & agitur, sed
quae operosa est & efficax per caritatem. Lutherus: Der
durch die Liebe thätig ist. Quin & ipse Ditembergerus ver-
sit: Der Glaube/der durch die Liebe wircket.

48. Secunda ratio Estii pro sensu passivo verbi ἐνεργεῖσθαι, 2. Arg. Estii
desumitur à Paraphrastæ Syriaci suffragio, cui fides dicitur
דַּמְתָּוּ אֲרֵי quae efficitur per dilectionem.

49. Resp. autem Particip. foemin. 2. Conjugat. passivæ
דַּמְתָּוּ אֲרֵי h. l. sensum activum importare, sicut Masc. hujus
Participii דַּמְתָּוּ אֲרֵי 2. Cor. 12. v. 9. idem est ac perficiens & ope-
rans virtuosè, cum ait Apostolus: Virtus mea in infirmi-

rate perficitur, id est, perficit, seu virtuosè efficacem se declarat.

50. Nam, ut habet Masii observatio à Ludovico Dieu grammat. harmon. p. 229. comprobata: Apud Syros & Chaldaeos conjugationes passivæ Ethpeel & Ethpaal, perindè ut apud Hebræos Niphal & Hithpaal, passionem significant, quæ ab actione reciproca proficiscitur: sæpè etiam meræ actiones illis conjugationibus designantur.

51. Licet ergo textus Syriacus sit ambiguus, tamen absque dubio eligi debet iste significatus, qui cum Græci verbi significatione convenit, uti docet Clarissimus Philologus & Theologus Johannes Michaël Dilherrus, eclogarum sacrarum dicto XII. pag. 473. & seqq. ubi etiam explicat exempla verborum conjugationis Ethpaal, significationem non passivam, sed activam habentium.

3. Arg. Estii in secundo probationis genere ductum à testimonio Tertulliani.

52. Denique allegat auctoritatem Tertulliani, qui libro 4. contra Marcionem his verbis enunciat Apostolicam propositionem, lib. 5. cap. 4. Fides, quæ per dilectionem perficitur &c.

53. Sed nihil inde concludi posse adversus nos, etiamsi passivè sumatur verbum illud, inde patescit, quia est locutio similis illi, quæ habetur 2. Cor. 12. v. 9. Virtus DEI perficitur in infirmitate, id est, maximè se prodit & exerit atque ostendit in infirmitate, quanta sit efficacia.

54. Quæ de causâ & ipse Estius tandem concedit, d. l. etiam sensum activum hoc verbo Græco connotari, quatenus fides per caritatem actuata & incitata exerit se atque ostendit bonis operibus.

55. Nos utique libenter concedimus sensum activum, ut hæcenus pro eo pugnavimus, sed ita, ut negemus, fidem salvificam actuari à caritate, quamvis per caritatem se exerat. Quæritur tamen nihilominus, an illa caritas, per quam fides
sic

sic efficax, sit forma fidei justificantis, quatenus justificat, quod nos negamus.

56. *Postremò caritatem justificare Pontificii probare quoque solent testimoniis Patrum, describentium fidem à caritate nostrà erga DEUM & proximum.*

Postremum genus probationis Pontificiæ pro fide formatâ.

57. *Quemadmodum ex Augustino tract. 29. in Johan. Lombardus 1. sentent. dist. 23. lit. d. fidem describit, quòd credere in DEUM sit credendo DEUM amare, credendo in DEUM ire, DEO adhærere & membrum ejus effici. Et in Jure Canonico, Can. Caritas est aqua, de poenitentia dist. 2. sic habetur: In Christum credit, qui caritatem habet. In Christum quippè credere, est amando in ipsum tendere. Hæc est fides, ut definit Apostolus, quæ dilectionem operatur; huic duntaxat remissio debitorum promittitur. Quòd si caritas à fide Christianorum sejungi nequit, cui scilicet soli venia promittitur, quomodo qui caritatem non habuerit, fidem Christianam habuit, id est, in Christum credidit?*

58. *Resp. Hujusmodi descriptiones fidei non sunt essentielles, aut illud exprimunt, in quo consistit natura & vis fidei justificantis, quatenus justificat, sed sunt factæ à posteriori seu essentiali proprietate fidei, prout fides consideratur signotenus, & ejus presentia infallibiliter est cognoscenda. Nam à caritate nequaquam mutuatur vel accipit fides efficaciam justificandi, ut volunt Pontificii, sed eam habet à propriâ suâ formâ, quæ est fiducialis apprehensio rei justificæ, id est, justitiæ Christi pro nobis legi divinæ præstitæ.*

59. *Repetimus autem distinctionem in Disput. 10. cap. 8. Aph. 3. §. 17. & Disp. 11. c. 3. Aph. 1. Pontif. §. 6. traditam, quòd caritas diligat DEUM, vel ut beneficus est erga miseros, & gratis præmiat credentes, vel ut præcipit observantiam mandatorum suorum.*

Caritas diligit DEUM duobus modis.

60. *Utroque autem modo spectata caritas est consequens justificationis, non autem causa aut forma illius.*

H 3

61. Nam

61. Nam qui diligit DEUM, ut gratis beneficus est, ille movetur ad dilectionem causâ impulsivâ gratuita hujus beneficentiae, nempe perfectâ obedientiâ Christi, spectatâ ut est bonum morale & meritorium praeiunctionis divinae, ut potè per quam jus legis impletum est, Rom. 4. v. 4.

62. Deinde sic permota caritas & ipsa apprehendit Christi justiciam, sed ut bonum utile ac salutiferum.

63. Caritas tamen non antecedit fiducialem apprehensionem meriti Christi, seu boni iustifici, ac proinde sequitur illam ut & ipsam justificationem.

64. Et huc possunt referri dicta, Rom. 8. v. 26. 1. Cor. 2. v. 9, & cap. 8. v. 3.

65. Eadem caritas est signum perseverantis fidei & continuatae justificationis atque gratiosae inhabitationis SS. Trinitatis, Joh. 14. v. 24.

66. Nam verbum Christi servare, est continuare fiducialem applicationem promissionum divinarum, Johan. 8. v. 17, Luc. 11. v. 22, quia discipuli jam tum credebant, Joh. 16. v. 39. cap. 17. v. 6. 7. 8.

67. Ideoq; servare sermonem Christi est porrò sibi applicare meritum Christi, in Evangelio oblatum, sicut Christus testatur, se conservasse propter discipulos suos, Joh. 17. v. 12. & orat Patrem, ut ille conservet atque animet illos, ne conturbentur corde, Joh. 16. v. 1. sed perseverent in fide, ejus demonstrationem continuent caritate erga DEUM, neque vel passione sui, vel futuris periculis ab hac fide & caritate absterri se sinant.

68. De alterâ verò caritate, quâ diligitur DEUS, ut jubens opera bona, loquitur Christus, cum inquit Matth. 6. v. 24. Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, aut alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Servire enim Domino est, facere quæ ille postulat ac jubet.

69. Hæc

69. Hæc, inquam, dilectio DEI multò magis est consequens justificationis, quia DEUS studium bonorum operum non requirit, nisi ab hominibus justificatis neque opera placere DEO possunt, nisi placata sit & placeat DEO prius persona, quæ operari debet.

APHORISMUS V. PONTIFICIUS.

Et absque operibus est mortua.

1. Resp. Concedimus iterùm fidem, ut est sola externa professio, esse inutilem ad officium peragendum, quod est perfecta ostensio fidei salvifica & justificationis.
2. Neque diffitemur, eam hoc modo consideratam esse mortuam, id est, non exerere suam $\sigma\upsilon\nu\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha\nu$.
3. Et de hac loquitur Apostolus cap. 2. v. 17. quòd fides, si opera non habeat, quibus sc. cooperetur in fide salvificà ostendendâ, sit mortua in se, id est, ut Syrus exponit, fides, id est, fidei professio, si sit sola, i. e. separata à bonis operibus & extra conjunctionem cum operibus, ad synergiam suam præstandam spectata, non habet vitam, sed animâ destituitur, etiam in se spectata, id est, ut maneat tum professio fidei, tum assensus.
4. Sic enim sonant verba paraphræos Syriacæ, Jac. 2. v. 18. $\text{הַיִּמְנוּתָא דְּלֵינָא עֲבָרָא מִיְהוָה הִיא בְּלִחוּרָא}$ Fides, cui non opera, mortua ipsa ipsa sola. Ubi vocabulum exclusivum בְּלִחוּר possidet affixum pleonasticum, quod respicit fidem. Est enim generis fœminini singularis, qualia affixa pleonastica ad hanc ipsam vocem habemus, Matth. 4. v. 10. & Luc. 9. v. 10.
5. Caterùm ut mors hæc fidei rectè intelligatur, prius de opposito ejus, nempe vitâ àspiciendum est.
6. Ac supernaturalis quidem vita vel est fidei externæ & profitentis internam fidem; vel est fidei internæ & professa. Vita supernaturalis est vel fidei externæ, vel fidei internæ,
7. Vi-

7. *Vita fidei externæ est plenâ notificatio salvificæ fidei & justificationis coram DEO.*

8. *Vita verò fidei internæ est tùm regenerationis vel renovationis; tùm salutis vel beatitudinis.*

9. *Vita regenerationis fidei internæ est fiducialis apprehensio meriti Christi, Vivo non amplius ego, quod autem in carne vivo, vivo per fidem filii DEI, Gal. 2. v. 20.*

10. *Unde Bernhardus in Epistolâ de vitâ solitariâ ad fratres de Monte scriptâ, pag. 146. f. b. edit. Parisiensis: In ipso (Domino DEO nostro) vivimus per fidem, movemur ac promovemur per spem, agimur per amorem.*

11. *Vita renovationis in fide est, quando est operosa per caritatem, Gal. 5. v. 6. Est enim caritas proprius effectus fidei, 1. Tim. 1. v. 5.*

12. *Vita denique beatitudinis vel salutis in fide est fructio summi boni, quod per fiducialem apprehensionem meriti Christi obtinetur, juxta illud: Justus fide suâ vivet, Rom. 1. v. 17. Gal. 3. v. 11. Hebr. 10. v. 38.*

13. *Vita salutis iterùm vel est spiritualis sive gratiæ, vel gloriæ divinæ.*

14. *Vita gratiæ divinæ est fructio gratiæ DEI, imputantis credenti obedientiam Christi, fide apprehensam.*

15. *Vita gloriæ est, quâ homo, in hac vitâ usque ad mortem fidelis, DEUM videbit æternùm in gloriâ.*

16. *Priores duo significatus vitæ, nempe regenerationis ac renovationis præcipuè pertinent ad hanc controversiâ. Sicut ergò corpus hominis ab animâ animatur ac vivificatur, ut illud vivat, tùm habitualiter & actu primo; tùm ενεργητικώς & actu secundo, & per illum respectum intrinsecè ac formaliter, per hunc verò effectivè & ενεργητικώς vocetur vivum, & à corpore mortuo per actiones vitales dignoscitur; ita & fides animatur ac vivificatur.*

17. Et

17. Et fidei quidem externæ vita est cooperatio cum operibus ad perfectè notificandum fidem salvificam, & ostendendam coram DEO factam justificationem.

18. Fidei autem internæ vita est tum ἐντελέχεια seu actus primus fidei, & quasi principium formale vitæ supernaturalis, quod est fiducialis apprehensio meriti Christi, tum operatio vitalis per caritatem.

19. Hæc enim posterior operatio fidei non est anima ejus, vel id, per quod fides interna formaliter vivit, sed signum duntaxat animæ præsentis, simile corporis vivi halitui & aliis motibus vitalibus.

20. Unde non est, cur Bellarminus adeò tergiversetur lib. 1. de Justif. cap. 15. §. ad quartum, dum non vult concedere, vitam esse de essentiâ fidei, quemadmodum vita est de essentiâ hominis, sed inquit: Per metaphoram dicitur fides viva, cum operatur: mortua, cum non operatur. Sicut etiam aqua dicitur viva, quæ continuò fluit, ut in fonte & fluviiis; mortua, quæ non movetur, ut in stagnis & in paludibus, cum utrinq; tamen, verè proprièq; sint aquæ.

21. Nam I. Vita nihilominus accipitur metaphoricè, cum fides dicitur viva per animam ejus supernaturalem, quæ est fiducialis apprehensio meriti Christi.

22. II. Hoc ipso Jesuita refragatur Apostolo in v. 26. disertis verbis à vitâ ac animâ corporis humani similitudinem petenti. Si enim fides salvifica habet operationes vitales, similes spiritui, id est, halitui, quò respirat homo, & ostendit se vivere ac animatum esse, utique ipsa fides salvifica erit supernaturaliter animata ac viva, ac habebit vitam, similem vitæ humane, per quam ipsa fides supernaturaliter animatur ac vivit.

23. Testatur hoc ipsum scitè Bernhardus de resurrectione Domini, sermone 2. f. col. 169. & 170. Vita quidem corporis est anima, per quam movetur ac sentit. Vita verò fidei cari-

tas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis; fides, quae per dilectionem operatur. Unde & refrigerante caritate fides moritur, sicut corpus animam recedente. Porro fidei vitam, ut jam diximus, in caritate (*signotenus*) constituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari.

Mors est vel
fidei externae,
vel fidei in-
ternae.

24. *Ceterum mors etiam, quae supernaturalis vitae est privatio, competit fidei tum externae; tum internae.*

25. *Externae fidei mors est, cum est absque operibus, cap. 2. v. 17. 20. & 26. quia tum demum perficitur & consummatur, id est, completum signum fidei salvifica & nostra coram DEO justificationis redditur, quando cooperatur operibus.*

26. *Internae autem fidei mors spectatur, vel ut opponitur vitae regenerationis, & infertur per peccatum contra conscientiam commissum, at non remissum, sed imputatum à DEO, vel ut repugnat vitae renovationis, & infertur à dominante peccato, estque indubium signum & effectum mortis fidei in regeneratis.*

27. *Sicut iterum Bernhardus sermon. 24. in Cantica: Mors fidei, inquit, est separatio caritatis, credis in DEUM, fac Christi opera, ut vivat fides tua, vitam tuam dilectio animet & probet actio, non incurvet terrenum opus, quod fides coelestium erigit; qui te dicis in Christo manere, debes, sicut ipse ambulavit, & tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te, hoc Christus non fecit. Item: Confiteris te nosse DEUM, factis autem negas. Non rectè planè: sed impiè, linguam Christo, animam dedisti Diabolo.*

Fides salvifica
semper est
practica.

28. *Hucusque Bernhardus, qui corpori mortuo comparat fidem mortuam, id est, vel externam professionem fidei, prout non habet conjuncta opera ad exequendum officium suum, quod veluti est vitalis operatio fidei externae, vel internam, quidem fidem, sed eam, quae tantum est assensitiva seu theoretica. Nam fides salvifica, quam diu manet & non excutitur, semper est practica, id est, & habet suam ἐντελέχειαν, & actum*

actum formalem, quod est fiducialis apprehensio meriti Christi, tum etiam ενεργειαν, id est, vitalem operationem, ab efficiencia principii formalis vite supernaturalis in fide, quod ενελεγειαν diximus, dependentem.

29. Quia itaque anima seu forma fidei varie dicitur, non mirum est, etiam varie ab interpretibus applicari similitudine v. 26. positam, & vocabulum ενευματι & diversimode exponi.

30. Magnum namque discrimen est inter formam & animam fidei externa, ut & fidei assensitiva, & inter formam fidei salvifica, quia tum professio fidei, tum assensus, caritatem habent pro forma adventitia, & manent in se professio & assensus, licet separentur ab hac forma accidentaria.

Divortium Interpretum in applicatione similitudinis, ejusque causa.

31. Unde Bonaventura in 3. Sententiarum, ait, fidem, (per hanc vero nihil aliud, quam assensum intelligit) formari & animari per caritatem, non tanquam per actum proprium, sed tanquam per actum annexum, dist. 23. in expositione textus, resp. ad dubium tertium, pag. 239. edit. Mogunt.

32. Fidei autem salvifica forma nequaquam est adventitia & extrinseca, sed intrinseca & essentialis, nempe fiducialis apprehensio, ejusque proprietates essentialis est caritas, quae hactenus quidem potest dici annexa fidei salvifica, quatenus ab ea nunquam potest separari, cum a professione fidei & assensu separabilis sit caritas.

Forma fidei salvifica non est adventitia.

33. Proinde Bernhardus caritatem & opera caritatis facit formam fidei assensitivae & professionis externa, licet adventitiam & annexam, & vocabulum ενευματι & sumit de ipsa anima, cui assimiletur caritas.

34. Neque obstat, quod Cajetanus objicit, opera non posse esse formam & animam fidei, sed illam fidem a caritate animari.

35. Nam & fides actualis habet formam suam adventitiam, nempe spem & patientiam actualem, nec non reliqua pietatis exercitia.

36. Cum ergò ipsa opera sint forma adventitia fidei, etiam similitudo v. 26. posita sic accommodari potest, ut opera illa cum Bernhardo dicantur esse actualis fidei $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha$, id est, anima vivificans, Luc. 23. v. 46. Actor. 7. v. 59.

37. Neque enim Cajetano satisfacit Estius, cum respondet, fidei formam esse opera bona, spectata in radice sua, seu ratione bonae voluntatis. Sic enim caritas forma extrinseca esset non fidei, sed operum: neque fides actualis haberet pro forma accidentaria ipsa caritatis opera: quod tamen ipse Estius statuit.

38. Attamen hoc perpetuò est tenendum, fidem, taliter formatam, nunquam justificare, quia caritas nequaquam justificet, sed est propria affectio fidei salvificae, & exercitium ejus est proprius effectus, qui consequitur justificantem fidem. Proinde nec caritas, neque ejus opera possunt ingredi actum justificationis.

39. Qui autem ex nostratibus Interpretibus similitudinem istam Jacob. 2. v. 26. accommodant ad fidem salvificam, illi non possunt vocem $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha$ aliter accipere, quam de respiratione. Sicut enim illa est signum corporis vivi, ita quoque caritatis opera sunt signum vitae fidei.

APHORISMUS VI. PONTIFICIUS.

Itaque homo justificatur ex operibus, & non ex fide tantum, ita, ut quando operari potest, sine operibus non justificetur ac salvetur.

1. Resp. Justificatio, ut superius probavimus, à Jacobo non spectatur, ut fit coram DEO, sed ut ostenditur facta esse coram DEO, ejusque presentia agnoscitur ab hominibus; ideòque mens Apostoli haec est: Homo justificatur, id est, justus esse
de-

declaratur & agnoscitur ex operibus, fidem consequen-
tibus, & non ex fide tantum, i. e. solâ externâ profes-
sione fidei.

2. *Atq; ita concordat hic versus cum capite 1. Jacobi v.
22. Estote factores & non auditores tantum, it. v. 25. qui
non est obliviosus auditor, hic beatus est in operatione
suâ, i. e. beatus esse agnoscitur, uti supra resolvimus hunc tex-
tum.*

3. *Contra hanc doctrinam acriter insurgunt Jesuitæ,
quemadmodum Cornelius à Lapide in Epist. Jacob. c. 2.
v. 21, pag. 112. fac. 1. c. d. urget conclusionem Apostoli: Vides
igitur justificari hominem ex operibus & non ex fide tantum.*

4. *Sic enim inde colligit: Qualiter ex fide justificatur ho-
mo, taliter etiam ex operib. justificatur. Sed ex fide justificatur
homo, non ita ut ostendatur tantum justus, sed etiam ut verè ju-
stificetur coram Deo. Ergo etiam ex operibus verè justificatur
coram Deo, & non tantum justus esse ostenditur.*

5. *Resp. Major conceditur de justificatione, ut osten-
denda est & notificanda hominibus, quomodo Jacobus ju-
stificationem considerat, & duo ejus signa collateralia consti-
tuit, nempe externam professionem fidei & studium bonorum
operum.*

6. *Minor autem simpliciter negatur, quia fides ut est
professio fidei externa, nequaquam est causa justificationis,
sed tantum aliqual ejus signum, quatenus cum operibus
cooperatur notificationem fidei, & cum iis conjunctum, reddi-
tur perfectum signum fidei salvificæ & justificationis præ-
sentis.*

7. *Sensus itaq; verborum Jacobi in c. 2. v. 24. nullus
alius est, quam, de justificatione certitudinem infallibilem ha-
beri non posse ex fide seu externâ professione tantum, sed
requiri ad completam hujus notitiæ infallibilitatem etiam ope-
ra, tanquam $\sigma\upsilon\upsilon\sigma\epsilon\gamma\alpha$, ad hujus certitudinis efficientiam.*

Verborum Ja-
cobi in v. 24.
c. 2. Sensus.

CAPIIT IV.

APHORISMUS I. PONTIFICIUS.

Hæc explicatio est omni tempore in
Ecclesiâ tradita.

1. *Resp.* Explicatio Patrum in cap. 2. Jacobi tradita, vel
est literalis, vel *πορισματικῶς* & per modum coniectari
potest elici ex literali.

Expositio Pa-
trum in c. 2.
literalis.

2. *Sensus literalis est, quòd Jacobus agat de fide salvi-
ficâ, non quatenus est talis, sed ut ostendenda est per fidem
externam i. e. professionem fidei, & per opera seu signa si-
multanea, & proinde quoq; de justificatione non agat aliter,
atq; illa potest agnosci ex prædictis signis, quod coram Deo
sit facta.*

Ephrem,

3. *Testes hujus nostre assertionis laudamus 1. Sanctum,
Ephrem, qui sancto Basilio fuit familiaris, ac proinde se-
culo quarto floruit, cujus tanta fuit apud orthodoxos autori-
tas, ut ejus scripta publicè post divinas Scripturas in Ecclesiâ
legerentur. Is ergò ita scribit lib. 4. de vitâ spirituali:
Considera, utrum habeas opera fidei (i. e. professioni fidei) con-
gruentia. Nam si dicendi tantùm & audiendi studiosus es, illud
in te jaceret: Fides sine operibus mortua est.*

Chrysoft.

4. *II. Chrysoptomum, hom. 14. in hunc locum 1. Tim.
5. v. 8. Quomodo autem hujusmodi credit, qui abnegavit?
Quando igitur, quod infidelis facit, tu facere neglexisti, nonne
fidem abnegasti? Non igitur in solâ confessione, sed multò magis
in effectu operis fides ostenditur. Idem hom. 2. in Gen. Ut
igitur alacriores nos reddatis etiam dictorum certam custodiam
demonstrate, & cum rectæ fidei dogmatibus vitam vestram
quoq; diligenter curate. Fulgeat enim lux vestra coràm homi-
nibus, ut videant vestra opera bona, & glorificent Patrem ve-
strum in cœlis, & vita consonet fidei dogmatis, & dogmata præ-
dicent vitam. Fides enim sine operibus mortua est, & opera si-
ne fide mortua sunt. Nam tametsi sanam teneamus doctrinam,*
vi.

vitam autem negligamus, nihil nobis proderunt doctrinae. Rur-
sus si vitae curam diligentem gesserimus, in fidei autem placitis
claudicaverimus, neq; sic nobis aliquid lucri fuerit.

5. *III.* Hieronymum in cap. 5. ad Gal. sic agentem; Hieronym.
Quemadmodum juxta Apostolum Jacobum fides absq; operi-
bus mortua est, sic absq; fide, quamvis bona opera sint, mortua
computantur. Qui igitur in Christum non credunt, & sunt pro-
bis moribus, aliud quid magis habent, quam opera virtutum.

6. *IV.* Augustinum, tract. 10. in Epist. Johan. Me- Augustin.
dicus, inquit ille, venit ad aegrotos. Via porrecta est ad peregri-
nos. Salvamur ab ipso, ambulamus per ipsum. Hoc est credere,
quia Jesus Christus est, quomodo credent Christiani, qui non
solum nomine Christiani sunt, sed factis & vita, non quomodo
credunt Daemones. Et serm. 181. de tempore: aliud est cre-
dere Deo, aliud, credere in Deum. Credere illi est, credere, vera
esse, quae loquitur, credere illum, credere quia ipse Deus est. Cre-
dere in illum, diligere eum. Credere vera esse, quae loquitur,
multi & mali possunt. Credunt enim esse vera, & nolunt ea fa-
cere sua, qui ad hoc pigri sunt. Credere autem ipsum esse Deum,
& daemones credunt. Credere vero in Deum, soli noverunt, qui
diligunt illum, qui non solum nomine Christiani sunt, sed factis
& vita, quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fi-
des Christiani, sine dilectione fides daemoneis.

7. *V.* Cyrillum Alexandrinum in Concilio Ephesi- Cyrill.
no cui ipse praesedit, part. 3. c. 43. sic declarantem verba Jaco-
bi fol. 457. edit. Binii. Ὁρθὴ γὰρ πίστις καὶ ἀκατάσκηπτος,
σύνδρομον ἔχουσα τὴν ἐξ ἔργων ἀγαθῶν φαιδρότητα, πάντος ἡ-
μᾶς ἐμπλήσῃ ἀγαθῶν, καὶ διαπρεπῆ λαχόντας τὴν δόξαν ἀπο-
φαίνει. Πράξεων δὲ λαμπρότης, εἰ ἀμοιβῆσα φαίνοιτο δογμάτων
ὀρθῶν, καὶ ἀδιαβλήτης πίστεως ὀνήσειεν αὐν, ὡς γε οἶμα καὶ ἔδεναι
τρόπον τὴν τῶ ἀνθρώπου ψυχῆν. ὡς περ γὰρ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔρ-
γων νεκρὰ ἐστίν, ἕτως εἶναι φαμεν ἀληθὲς καὶ τὸ ἔμπαλιν. ἔκκοιζεν
συναλαμπέτωλης εὐζωΐας ἀνυχήμασι, καὶ τὸ ἀμώμητον ἐν πίστει.
Recta sanè & irreprehensibilis fides, quam fulgor ex bonis ope-
ribus comitatur omninò bonis nos implet, & præclaram nostris
gloriam ostendit. At operum fulgor, si expers esse videatur re-
storum dogmatum, inculpataq; fidei humanæ animæ nullo
modo,

modo, ut arbitror utilis fuerit. Nam sicut fides absq; operibus mortua est; ita, quod è contrario convertitur verum est. Igitur simul fulgeat cum honestæ vitæ gloriâ etiam integritas fidei.

Salvian.

8. *VI. Salvianum Massiliensis Ecclesie Episcopum, qui anno Christi 480. claruit sub Zenone Imperatore. Is vero lib. 4. de providentiâ sic scribit: Jacobus Apostolus indicat actus bonos Christianæ fidei quasi testes esse, quia Christianus, nisi bona opera fecerit, fidem suam approbare non possit, ac quia probare non valeat, quod sit, sic omninò habendum est, quasi non sit.*

Fulgent.

9. *VII. Fulgentium, Russe in Africâ Episcopum, qui vixit circiter annum Christi 500, hic lib. 2. de remissione peccat. c. 1. inquit: Vita bona non veraciter dicitur, quæ per verso credulitatis vitio depravatur, neq; sufficit ad salutem fides rectè credentis, si conversatio moribus, atq; operibus turpatur obscœnis.*

Bernhard.

10. *VIII. Bernhardum in sermone de resurrectione & serm. 24. in Cantica, cujus verba jam tum supra cap. 3. aph. 5. §. 27. citavimus.*

Explicatio Patrum in c. 2. Jacob. conf. Ctaria.

11. *Altera verò explicatio Patrum est quidem fidei analogia, non tamen directè literalis sed ex literali demum consequitur, quatenus fides assensitiva, si tantum ostenditur per externam professionem & non etiam per opera agnoscitur, etiam est inutilis ac mortua, non minus ac professio fidei externa.*

12. *Atq; ita Jacobum explicat Augustinus lib. 38. quæst. 76. tom. 4. ubi sic scribit & conciliat Jacobum cum Paulo: Quoniam Paulus Apostolus prædicat hominem justificari per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, um semel in Christum credidissent etiam si malè operarentur & facinorosè flagitiosèq; viverent, salvos se esse posse per fidem; Locus hujus epistolii eundem sensum Pauli Apostoli, quomodo sit intelligendus exponit. Ideoq; magis Abrahæ utitur exemplo, vacuam esse fidem, si non operetur,*

retur, quoniam Abrahamæ exemplo etiam Paulus Apostolus usus est, ut probaret justificari hominem per fidem sine operibus legis. Cum enim bona opera commemorat Abrahamæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit, Paulum Apostolum non ita per Abraham docere, justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non pertineat ad eum bene operari, sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide. Unde manifestum est, quod Paulus Apostolus dicit: Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus, non tamen ita intelligendum est, ut acceptâ fide si vixerit, dicamus eum justum, etiam si male vixerit. Ideo & exemplo Abrahamæ Apostolus nititur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus. Et Jacobus, quia fidem ipsius Abrahamæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens, quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus Apostolus prædicavit. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli & Jacobi, cum dicit unus, justificari hominem per fidem sine operibus: & alius: inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt; iste de iis, quæ fidem sequuntur, sicut etiam Paulus multis locis ostendit.

13. *Item in Psal. 31. vel juxta Hebræos, 32. in præfat.* Jacobus in epistolâ suâ contra eos, qui volebant bene operari de solâ fide præsumentes, ipsius Abrahamæ opera commendavit, cujus Paulus fidem. Dicit autem Abrahamæ opus omnibus notum: Abraham filium suum immolandum DEO obtulit, magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum, Laudo factum boni operis, sed in fide agnosco radicem.

14. *Et in lib. de fide & operibus. c. 14.* Executiendum est à cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint, bene autem vivere, & bonis operibus viam DEI tenere neglexerunt. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam obscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere, faciamus male, uti veniant bona. *Et paulò post:* Cum ergò dicit Apostolus, arbitrari se justificari hominem

K

nem

nem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, ut præcepta ac professâ fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat quisque se per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum. *Et post pauca*: Quoniam hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, quâ in DEUM creditur, sed eam salubrem planeque Evangelicam definit, cujus opera ex dilectione procedunt: Quousque igitur falluntur, qui fide mortuâ sibi vitam perpetuam pollicentur? *Falsum proinde est, quod Pontificiorum explicatio sit vera & catholica: quin imò verè est absurda & cacodoxa.*

APHORISMUS II. PONTIFICIUS.

Illorum autem, qui ab Ecclesiâ Romanâ discesserunt, explicatio à veteribus & ab ipsâ veritate dissentit.

1. *Hoc Bellarm. lib. 4. de Justif. c. 18. objicit Calvinò, ita concilianti Paulum cum Jacobo, ut dicat istum loqui de justificatione, quæ fit per imputationem justitiæ Christi, hunc verò de justitiæ declaratione.*

2. *Et quidem dissensum à veteribus probat Jesuita ex Aug. in Psal. 31. ex libro de fide & operibus. c. 14. ad Dulcitium, quæst. 1. & lib. 83. quæstione 76.*

3. *Sed contrarium, & quod à partibus nostris habemus antiquitatem, satis superq; in antecedente aphorismi refutatione demonstravimus.*

4. *Quod autem cum veritate pugnet nostra explicatio, probare vult Jesuita quatuor rationibus.*

5. *Prima, quia fides non cooperetur operibus ad justitiæ declarationem. II. Quia fides non justificet declarando, sed*

Rationes Bellarmini, quibus evincere vult Evangelicorum explicationem cum veritate pugnare.

vel

vel disponendo ad justitiam, vel inchoando justitiam formalem. III. Quia fides Abrahæ dicatur ex operibus consummata esse, i. e. justitiam fide inchoatam accepisse incrementum & perfectionem per opera. IV. Quia Rahab meretrix dicatur ex operibus justificata esse, i. e. ex infideli fidelis, ex meretrice justa facta esse. Neque enim (ait) Rahab potuit declarari justa, cum esset adhuc meretrix.

6. Respondemus autem ad 1. rationem, cum fides dicitur cooperata esse operibus ad Abrahamum justificandum, vox fidei non significat signatum vel fidem professam, sed signum fidei justificantis, vel profitentem fidem. Hæc enim cooperata est operibus in concursu mutuo ad justificationem non efficiendam, sed ostendendam, ut Aphor. 2. cap. 1. demonstravimus.

Bellarmini
rationes refu-
tantur.

7. Ad secundam rationem dicimus iterum, quod justificatio hominis, ut agnoscitur & ostenditur aliis vel etiam ipsi justificando, non possit spectari aliter, nisi ratione signorum collateralium, ex quibus tum illa, tum fides salvifica ostenditur & agnoscitur. At fides, quæ cooperatur operibus ita, ut non ex fide tantum, sed etiam ex operibus homo justus agnoscatur, non significat fidem professam, qualis est justificans fides, sed fidem externam seu professionem fidei: Ut jam non dicamus fidem professam nequaquam justificare disponendo ad justitiam formalem, sed apprehendendo justitiam Christi.

8. Ad tertiam rationem Resp. Jacobum non dicere justitiam ex operibus consummari, sed fidem, eamque profitentem, sive externum actum professionis fidei interne. Proinde consummatio hujus fidei nihil aliud est, quam perfecta ostensio fidei justificantis & justificationis.

9. Ad 4. rationem dicimus, Rahab esse coram DEO justam declaratam & agnitam ex professione fidei interne simul & ex operibus.

10. Nam dum fuit meretrix, non potuit esse justa coram DEO, ideoque neque bona opera edere, ex quorum cum fidei exter-

na vel profitentis consociatione mutuâ agnosceretur iusta:
Neque Jacobus per opera intelligit alia, quàm quæ justifica-
tionem consequuntur.

Triplex ex-
plicatio ver-
borum Jaco-
bi, quam te-
nent illi qui à
Papatu reces-
serunt.

1. Literalis
explicatio.

11. *Ceterum eorum, qui à Papatu discesserunt, explicatio triplex est, Una directè literalis, altera verò est quidem analogica fidei non tamen literalis, & tertia deniq; paucorum, ἡ ἀπολύτως λόγων ὑγιαίνοντων non tenentium.*

12. *Literalis est, ut superius diximus, quæ verba Jacobi intelliguntur de fidei justificantis & justificationis coram Deo facta plenariâ ostensione per fidem externam, & per opera, seu signa sociata.*

13. *Nam quando conjunguntur fides profitens, vel externa cum operibus tunc consummatur, id est, perfectum signum redditur fides ista externa, seu professio fidei interna. Absq; operibus autem est imperfectum signum, ex quo nihil solidi potest inferri.*

14. *Agnovit hunc sensum & vidit in verbis Jacobi oculatissimus Theologus Dn. D. Balthasar Menzerus tom. 5. Giess. disp. 11. ch. 38. usque 43. Professio fidei verissimè cooperatur operibus. Nam qui fidem Christianam profitetur, & eandem simul exprimit bonis operibus, ille verbo & facto simul testatur ac confirmat, se verè in Deum credere (non simulatè) ac proindè verè etiam esse justificatum. Quemadmodum contra, qui fidem profitetur in Christum, & tamen impiè vivit, aut externam quidem vitam honestam ac laudabilem agit, non tamen profitetur fidem Christianam, de eo certò statuitur, justificatum non esse. Neq; igitur sola professio verum Christianum arguit, neq; sola externa bona opera, (de internis enim homo judicare per se & à priori non potest) sed conjunctim & professionis veritas, & bonorum operum sinceritas.*

15. *Pergit ulterius: Vis, ut clariùs loquar? Est, qui de Evangelio splendidè loquitur, fidemq; Christianam egregiè commendat, deq; religionis capitibus nervosè ac solide disputat, factis autem Christum negat. Christianus igitur verus non est. Est alter, qui conciones solennes diligenter visitat, sacrâ cœ-*
nâ

nā frequenter utitur, assidue orat, sæpè jējunat, ægrotos visitat, pauperibus subvenit, adeoq; vitam agit in oculis hominum irreprehensibilem, sed fascinatus est profanis opinionibus, multosqve fovet errores perniciosissimos. Verus igitur Christianus non est; Conjunge nunc in uno eodemq; homine utrumqve, nempe & fidei sinceram professionem, & bonorum operum studium; nemo erit inter Christianos, qui non ipsum sit libenter habiturus pro verè pio adeoque justificato homine. *Huc usque verba illius Theologi.*

16. *In eandem sensum etiam exponit Andreas Rivetus Pictavus, in Academia Leidensi Professor, Catholici orthodoxi tractatu 4. quæst. 11. §. 10. p. 424. 425. Quod autem vim faciunt his verbis Jacobi, v. 24. videtis igitur ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum, ut evincant eandem esse rationem in justificando fidei & operum, quia in eodem actu conjunguntur: etsi possit solvi respondendo, Jacobum nihil aliud velle, quam hominem justificari ex fide, quæ se veram ostendit per opera, non fide sterili, quod quidem verum est: melius tamen solvitur, si dicamus fidem accipi pro fidei professione & vocem justificandi pro justificationis manifestatione: Sensum autem esse, hominem non solâ fidei professione ostendere, se justum esse, sed etiam tali professione digna conversatione. Id enim aptissime quadrat disputationi Apostoli, v. 14. Quæ utilitas, si fidem dicat aliquis se habere. Item v. 18. Ostende mihi fidem tuam, &c. ? Ubi satis indicat, se agere de fidei professione, & ejusdem (fidei) probatione per opera quam fieri per opera cum Jacobo confitemur.*

17. *Altera autem classis interpretum Papatum non agnoscunt illorum, qui accipiunt fidei vocabulum in v. 22. & 24. de fide internâ ac salvificâ, vel meriti Christi fiduciali apprehensione, ac dicunt, verbum σὺν ἔργῳ idem significare, quod ἐν ἔργῳ, ut fides cooperata operibus sit fides efficax per caritatem, Gal. 5. v. 6.*

18. *Nonnulli etiam ἐν ἔργῳ illam fidei cum operibus exponunt de complacentiâ, quâ fides bona opera accepta reddit, ut placeant DEO.*

19. Deinde consummationem fidei exponunt de fidei sinceritate, quia sinceritas quandoque perfectionis nomine venit, opposita dimidiationi cordis, sicut in disp. 4. declaravimus.

20. Itaque fides consummari ex operibus illis dicitur, quæ est declarata, quòd sit perfecta, sincera & ἀνυπόκριτος.

21. Hanc perfectionem fidei dicunt non esse essentialem, quæ effectum perficitur à causâ suâ, sed declarativam, quæ causa perficitur, ut actu completa videatur in productione effecti, sicut Aristoteles lib. 10. Ethic. ad Nicom. c. 4. docet, voluptatem animi perficere felicitatem humanam, ὡς ἀπὸ τῆς ἀρετῆς τὸ τέλος, seu finis postea accedens, & perfectionem actionis secundum virtutem seu felicitatis humana demonstrat.

22. Denique in v. 24. hi autores disputant, Jacobum non dividere justificationis efficientiam inter fidem & opera, sed fidem, quæ tantum est, id est, solitariam, seu rem mortuam remove-re; quia non dicat Apostolus: Videtis, quòd etiam ex operibus justificetur homo, sed absolute: Videtis, quòd ex operibus justificetur homo. Sequentem verò antithesin, & non ex fide tantum, Jacobum propterea addere, ut inducat μὴ κῶς verba hypocritarum: Justificamur ex fide tantum: Quasi dicat Jacobus, falsum hoc esse videtis, ut Pareus, antequam novæ explicationi Johannis Piscatoris Herbornensis Professoris adbereret, exponit in castigatione Bellarmini lib. 4. de Justif. c. 18. Amesius Bellarmini enervati tom. 4. c. 9. n. 2. p. 191.

23. Scopum itaque Jacobi esse fidem & opera conferre, ut sunt res dissimiles, & prout opponuntur proprietas Hypocritæ & proprietas veri Christiani. Et sicut inanis est professio caritatis, quæ verbis cibare vult famelicum, ita quoque inanem haberi fidem, quàm quis dicit se habere.

Judicium su-
per hanc expli-
catione.

24. Hæc explicatio quidem est analogâ fidei, id est, doctri-

na fidei, quia oblatio Isaaci expresse asseritur esse effectum
fidei salvifica Abrahami, Heb. 11, 17. Jam fides Abraha in
Messiam non fuit ociosa, sed operosa per caritatem, licet quate-
nus operosa fuit, Abraham per eam coram DEO non sit justifi-
catus, sed sibi aliisque demonstratus, quod esset justificatus coram
DEO per fiducialem apprehensionem meriti Christi.

25. Negamus tamen hanc explicationem esse congruam
literæ textus. Nam fides in v. 22. & 24. non significat fidem
salvificam, i. e. actus essentialis fidei salvifica, desiderium &
fiduciam, sed ipsam externam professionem in ore hominis sese
exerentem, quæ est interna fidei aliquale signum. Sic enim descri-
bit fidem illam v. 14. quod sit, cum homo dicit, se habere fi-
dem, v. 4. eamque comparat dilectioni, quæ fit verbis & lingua, v. 15.

Fides in v. 22.
& 24. non si-
gnificat fidem
justificam.

26. Fides autem professa salvifica est in corde credentis &
signatum, quod per externa professionis actum ostenditur.

27. Συνεργεια verò & cooperatio fidei hujus cum operibus non
est simplex ἐνεργεια, sed significat mutuū eumque coordina-
tum fidei externa cum operibus concursum, ad ἀπολέ-
τησιν hoc, quod est ostensio fidei salvifica & justificationis.
Quo respectu Jacobum considerare justificationem & fidem
salvificam, superius probavimus in aph 2. cap. 1. refutatione.

Συνεργεια fi-
dei cum ope-
ribus in Ja-
cobo non est
simplex ἐνεργ-
εια.

28. Non ergo probari potest συνεργειν h. l. equipollere verbo
ἐνεργειν.

29. Neque parallelus dicto Jacobo est locus Gal. 5, 6. quia
ibi agitur de fide, quæ valet in Christo Jesu, id est, quæ efficit
verum Christianum, & agnoscitur ex operatione per caritatem.

Locus Gal. 5.
v. 6. non est
Jacobæo pa-
rallelus.

30. Hac autem fides, de qua Jacobus v. 24. agit, non est si-
gnatum, quod agnoscitur, sed signum, quod est causa cogno-
scendi signatum, & quidem causa non solitaria, sed sociata, eaque
non subordinata, sed collateraliter juncta operibus, ceu al-
tericausa notifica.

31. Hac fides consummatur per opera, id est, redditur

totale & perfectum signum veri Christiani, cum absq. operibus non justificet, id est justificationem non ostendat. Fides autem interna, si non assensitiva tantum, sed etiam fiduciali apprehensione teneat objectum justificum, sola facit verum Christianum, & perfectè justificat absq. operibus.

Fides justificans non potest dici operibus cooperari.

Fides quatenus in operibus sese exercet non est causa sociata.

32. Ac licet non sit vacua bonis operibus, non tamen bona opera concurrunt cum fide salvifica ad justificationem, neque perficiunt justificationem quasi prius imperfectam, ac proinde nec dici potest, quod fides, quando & quatenus justificat, cooperetur operibus.

33. Sanè fides justificans sese exercit in operibus bonis ceu suis fructibus, sed ita fides est causa solitaria operum, & opera sunt merum effectum, nunquam autem sunt fidei salvificæ causa sociata.

34. Sola quoq. hac fides facit, ut opera Deo placeant, quia sola ex nostrâ parte prestat hoc, ut homo renatus, qui operatur, in gratiam recipiatur, & sic placetur prius DEO, & placente personâ, opera quoq. eidem placeant. Fides autem quæ cooperatur operibus, non habet ea sibi subordinata, ut effectum, & cum fide externâ ceu coordinato signo simul requiruntur opera ad ostensionem fidei salvificæ & justificationis.

35. III. Apostolus Jacobus omninò partitur ostensionem justificationis inter fidem & opera, ut patet intuenti textum, & scopum Apostoli consideranti, qui expresse vocat σύνεργον, & utraq. conjungit in officio notificandi justificationem, & ex v. 24. perspicua est illa utriusq. coordinatio in ostendendâ justificatione & fide salvificâ. Ideoq. si alterutrum desit ex his signis, manca est ostensio illa.

Propositio Jacobi v. 24. est composita.

36. Neq. obstat, Jacobum non dicere, etiam ex operibus justificari hominem, aut ex operibus simul justificatum esse Abrahamum. Nam ex propositione Jacobi compositâ, cujus pars affirmativa quedam est (ex operibus homo justificatus)

ca-

catur, id est, coram DEO justificatus ostenditur) Pars autem negativa (& non ex fide tantum) consequitur ista copulativa enunciatio affirmans : ex fide & operibus justificatur homo.

37. Ac licet v. 21. & 25. tantum mentio fiat unius signi, nempe operum, tamen subintelligi debet etiam alterum, nempe fides externa. Prasupponit enim Apostolus ceu notissimum ex historia sacra, quod Abraham & Rahab professi sint veram fidem. Eodem modo Jacobus supra cap. 1. v. 22. dixit : Nolite esse auditores, sed factores verbi, ubi non modo intelligit exclusivam negantem in priori membro, nolite esse tantum auditores, sed insuper in posteriori membro comprehenditur implicitè etiam conjunctio, perinde ac si dicat expressè, sed etiam factores verbi.

38. Porro & hoc concedere non possumus, quod fides externa & opera considerentur à Jacobo ut opposita, quia ea spectat ceu coordinata signa & consentanea ac mutuam operam conferentia ad producendum opus suum, quod est fidei salvifica & justificationis coram DEO jam obtenta ostensio. Utrumque enim requiritur, ut veri Christiani seu hominis fidelis & coram DEO justificati tueri nomen quis valeat, nempe & vera fidei professio & bonorum operum studium.

Fides & opera à Jacobo ut coordinata considerantur.

39. Neutrum sine altero sufficit ad demonstrandam Christianismi veritatem. Nam si professio quidem adsit, opera verò illi cōgrua desint, verissimè dicitur v. 26. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est, ut iterum nostra faciamus verba meritissimi Theologi D. Balthasaris Menzeri allegata disput. th. 56. & 57.

40. Quò pertinet ista reciprocatio à Chrysoftomo, Cyrillo & Hieronymo in verbis eorū, quae superius adduximus

L

usur-

usurpata: Fides sine operibus mortua est, & opera sine fide sunt mortua.

41. Unde notorio Paralogismo sibi metipsis fucum faciunt, qui ex alterutro signorum istorum colligunt necessariam signati presentiam, ut docet Apostolus Jacobus cap. 1. v. 21.

42. Quâ de causâ etiam ambabus manibus concedimus argumentum à comparatis ductum, quia aliud est professio fidei, aliud sola professio fidei, quæ etiam Epicuræis, vel solius fidei assensiva professio, quæ etiam hypocritis competit.

3. Explicatio
reformatorū
Theologorū.

43. Tertia explicatio super hunc locum tradita est paucorum Theologorum, eorumque ex Reformatis, ut nominari volunt, nempe D. Joh. Piscatoris in Gymnasio Herbornensi, & D. Davidis Parei, in Academiâ Heidelbergeni quondam Professoris, eumque secuti Jacobi Laurentii, in Ecclesiâ Amstelrodamensi Verbi D. E. I. administri, quorum ille asserit esse metonymiam effecti in verbis Jacobi, hi autem in Commentariis suis super Epistolam Jacobi, partis pro toto, aut unius pro duobus Synecdochen, esse statuunt, ita, ut per opera intelligatur fides operibus conspicua.

43. Nam Piscator in c. 2. Jacobi, pag. 29. & 30. communem nostram ac genuinam sententiam, quod scopus Jacobi sit de Justificatione, ut ostendenda est, rejicit duabus adhibitis rationibus, cum ait: Si verbum justificari quis interpretetur, justificatum declarari apud homines, sequitur istam declarationem fieri non solum per opera, sed etiam per ipsam fidem. At consequens dici verè non potest, cum nemo alterius fidem videat, nempe in se & per se.

44. Alteram verò rationem desumit à scopo Jacobi, quem ait esse doctrinam de Justificatione coràm D E O, idq;
pla-

planum esse vult, tùm ex propositâ quæstione vers. 14. quam exemplo Abrahæ confirmat Jacobus, tùm ex loco Genes. 15, quem allegat v. 23. & sine controversiâ de ipsâ justificatione accipiendum esse, Paulus Roman. 4. demonstrat.

45. Pareus autem explanationis sue fundamentum desumit ex vers. 18. cap. 2. Epist. Jacob. Tu fidem habes, sc. sine operibus. At ego opera habeo, id est, fidem operibus conspicuam.

46. Pergit Pareus: Si Jacobus opera sola sine fide intelligeret, in antithesi hâc diceret, ego tibi ostendam opera mea. At qui dicit: Et ego ostendam tibi fidem meam ex operibus. Ergo fidem operibus conspicuam, non opera sola fidei ociosæ prius opposuit, & hoc voluit: Tu fidem ociosam habes, ego fidem operantem habeo.

47. Porro eandem interpretationem Pareus vult ex v. 22, 23, 25. adstruere. Argumentatur enim ab absurdo: Si Abrahamum ex operibus propriè, & non fide operante justificatû Jacobus intelligeret, v. 20. I. Absurdè diceret v. 21. Vides fidem cooperatâ esse operibus. Juberet enim nos videre, quod non est, & quod non dixerat, quia fidei nullam mentionem fecerat. Potius verò diceret: Vides opera cooperata. & c. II. Absurdè etiam diceret v. 22. Scripturam: Credidit Abraham DEO: opere oblationis filii impletam fuisse. Scriptura enim de fide & justificatione Abrahami impleri non potuit, nisi per fidem justificantem, cujus in historiâ oblationis nulla habetur mentio: Imò sibi contradiceret v. 20. ex operibus & v. 22. ex fide justificatum Abrahamum affirmans. III. Absurdè etiam ex Scripturâ: Credidit Abraham Deo, inferret, v. 24. Videtis ex operibus justificari hominem. Potius enim contrarium inferendum erat: Videtis ex fide, non ex operibus justificari hominem. IV. Non verò denig-

diceret v. 25. ὁμοίως similiter etiam Rahab meretricem ex operibus justificatam esse: quia Abrahamo non opera, sed fidem imputatam esse ad justitiam Scripturâ allegatâ probaverat.

48. Has itaq; absurditates evitari non posse censet, nisi Synecdoche, seu metonymiâ istâ concessâ, quod v. 20. 24. 25. per opera ipsam fidem operantem, fidei ociosa oppositam intelligat Jacobus.

Judicium super quorundam Theologorum reformatorum explanationē.

49. Resp. Sed hi autores aberrant à scopo Apostoli, qui non est, agere, de Justificatione coràm DEO, quatenus fit, & continuatur apud illum, sed quatenus ostenditur.

50. Deindè non servat ἡ ἀποστολικὴ τῶν ὑγιαίνοντων λόγων. Nunquam enim Scriptura sacra, quando agit de justificatione hominis peccatoris coràm DEO, ut illa coràm DEO obtinetur, usurpat hanc phrasin, ut opera sumat pro fide operante, id quod Joh. Camero ejusdem cum prædictis Theologis confessionis ipsemet agnoscit, cum ait: Metonymiam istam duram, ac parum usitatâ in Scripturâ videri posse, Myrothecii pag. 340.

51. Quid quod Pontificii hanc ipsam glossam adhibeant in cap. 3. & 4. Rom. cum ajunt: Paulum sub fide comprehendere opera fidei, opposita operibus naturæ & legis absq; fide & gratiâ præstitis, ut Cornelius à Lapide pag. 115. in 2. cap. Jacobi v. 25. tradit.

52. Sicut enim isti Reformati per opera fidem intelligunt operantem, id est, ut Cornelius explicat, diligentem, invocantem DEUM, ita Pontificii per fidem simul opera intelligunt.

53. Esto enim cum aliis orthodoxis statuunt fidem salvificam semper esse operosam, quia tamen negant Jacobum agere de justificatione ut resignatâ, utiq; etiam opera non ut signa, sed ut partem & causam justificationis statuunt necesse est.

54. Nam si Jacobi verba, dicentis ex operibus justificari ho-

hominem, hunc sensum habent: Ex fide operibus conspicuâ homo justificatur, ita, ut justificatio consideretur, quatenus coram DEO fit, tunc opera aut erunt signa fidei justificantis & justificationis, & fides cooperans non erit fides salvifica, sed notabit externam professionem fidei, & sic ageatur de justificatione, ut est signanda, aut opera erunt pars & causa justificationis coram DEO obtinenda, cum tamen omnes Theologi qui Pontificiis in hoc religionis puncto sese opponunt, unanimiter statuunt, fidem justificam esse quidem operosam, non tamen justificare aut continuare justificationem, quatenus est operosa, sed quatenus apprehendit Christum, quia ut operosa est, ostenditur per opera, ceu notas sue presentia.

55. Pareus quidem v. 22. exponit de justificationis declaratione, & in precedentibus mentem suam de justificationis naturâ satis orthodoxè explicat: attamen verba, quæ in versûs 22. interpretatione habet, accuratâ limitatione sunt præmunienda, nisi perplexari debeant simpliciores. Ad mentem, inquit, Jacobi Apostoli dicendum videtur, fidem cooperatam esse ex operibus, seu operi ejus in justificatione. Quomodo? quia fide in hoc opere conspicuâ Abraham fuit justificatus, seu, quia fides per tremendum opus illud se non ociosam, sed operantem esse declarans, justificationem operata est.

56. Itaq; justificationem contra intentionem suam considerat, non ut sit coram DEO, sed ut coram DEO facta esse agnoscitur ab hominibus.

57. Nunc ad rationes utriusq; authoris pergimus, ab absurdis ductas, quas quidem contra Pontificios urgeri posse facile concederemus, si stylus Scripturæ admitteret impropriam operû pro fide operante usurpatorum significationem, quia tamen negant has absurditates evitari posse, nisi Synecdoche aut metonymia illa effecti concedatur, v. 24. & 25. & vocabulum justificationis volunt accipi, prout sit coram

DEO, nos eas strictim ventilabimus, ne nostram explicatio-
nem infringere posse videantur.

Rationes
Piscatoris re-
futantur.

58. Nimirum inde D. Johannis Piscatoris primam ra-
tionem negamus, quia minimè absurdum est, fieri declara-
tionem seu ostensionem justificationis, & per fidem & per signa
reliqua, si modo per fidem non accipiatur fides interna, sed
externa, seu fidei internae professio, quae utiq; incurrit in sen-
sum, & à Jacobo constituitur parviale signum justificationis,
v. 24. & 25.

59. Ad secundam rationem Piscatoris dicimus, Jacobum
sanè loqui etiam de fide justificante, & de justificatione, quae co-
ràm Deo fit, sed nō in iis versibus quibus agit de fide externā,
verum v. 23. ubi citat testimonium Moysi, quod impletum esse
probat à posteriori, nempe à signo infallibili fidei justificantis
& justificationis.

60. Insuper aberrat à scopo Apostoli Jacobi, qui diver-
sus est à Paulino scopo in disputationibus de justificatione. Ete-
nim Paulus considerat fidem justificantem ac justificationem
ratione essentiae suae, & quatenus justificat illa fides, & co-
ràm DEO fit justificatio; Jacobus verò fidem salvificam &
justificationem spectat, quatenus signati rationem habent, &
quatenus certis indicis agnosci possunt ab hominibus.

Parei ratio-
nes refutan-
tur.

1. Absurditas.

61. Parei rationes itidem non concludunt propositum
ejus.

62. Non prima, quia Jacobus utiq; dixit ac docuit, quod
deinceps videre jubet, nempe fidem externam ostendere fidem
internam & justificationem, in v. 20. & 21.

63. Nam in v. 20. fidem absque operibus docuit esse
mortuam, id est, inutilem ad perfectè cognoscendam fi-
dei salvificae & justificationis ac salutis spiritualis presen-
tiam.

64. In versu autem 21, ait ex operibus justificatum esse
Abra-

Abrahamum, & subintelligit externam fidei professionem, quam in Abrahamo & Rahab fuisse, tanquam notissimum, presupponit.

65. Neque est ut obvertatur, si hoc voluisset Jacobus, potius eum dicturum fuisse, vides, quod opera sint cooperata fidei, quae prima fuit absurditas, a Pareo nobis objecta.

66. Nam in collateralibus signis & cognoscendi causis locis nihil refert, utra primo loco ponatur, quia utrique competit generale officium significandi vel ostendendi rem signatam.

67. Unde paulò ante audivimus, reciprocari istas propositiones: Fides sine operibus est mortua: Et opera sine fide sunt mortua.

68. Maluit tamen Apostolus dicere: Fidem in Abrahamo esse cooperatam operibus ejus, quam opera cooperata esse fidei, quia fides, id est, professio fidei ordine naturae prior est operibus, & nemo potest prius justificationem suam operibus ostendere, quam, quando cum externâ fidei professione est conjunctus Ecclesiae, in quâ, ceu Spiritus Sancti officinâ, fides in cordibus hominum accenditur, & per illam justificationis beneficium confertur. Hoc autem collatum esse perfectè agnoscitur ex professione fidei externâ & operibus, quae debent esse consentanea professioni externâ.

Cur Apostolus fidei & non operibus cooperationem designet expressè.

69. Secundi absurdi consequentiam tollit diversus modus considerandi justificationem. Nequaquam enim absolum est, Scripturam de justificatione Abrahami loquentem impleri per fidem internam, id est, fiducialem apprehensionem Messiae, & impletionem hanc cognosci perfectè ex professione simul fidei & ex operibus. Licet enim Jacobus fidem Abrahae describat in v. 23. ut eandem rem a Paulo consideratam, cum dicit fidem id est, obedientiam Messiae in plenitudine temporis pro nobis legi divinae prestandam & fide apprehensam, Joh. 8. v. 5. ipsi im-

pu-

putatam esse, atq; sic eandem rationem justificandi hominem doceat esse, qualem Paulus monstret, Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. tamen modus considerandi apud Paulum & Jacobum diversus est, à quo etiam pendet distinctio illa. Nam descriptio rem descriptam seu consideratam dicit esse veram, & talem, qualis debuit esse; distinctio verò determinat scopum, quem intendunt Apostoli, propositum certo modo considerandi rem illam veram.

70. Sic Apostolus Jacobus describit justificationem à suâ naturâ v. 23. nempe quòd sit imputatio fidei ad justitiam, quo eodem modo illam etiam videmus explicari apud Paulum. Verum tamen Jacobus non considerat fidem justificam, quatenus justificat, nec justificationem prout fit coram DEO & continuatur per fidem internam seu professam illam, quæ est fiducialis apprehensio meriti Christi, sed ut de eâ homo certus reddi potest.

71. Nec obstat, quòd Scriptura de fidei in justitiam imputatione à Jacobo dicitur impleta fuisse in personâ Abrahami per filii oblationem. Nam tunc impleta dicitur non quoad existentiam, sive fidei justificantis sive imputationis, sed quoad perfectam agnitionem fidei salvificæ & justificationis, ejusq; illustrem per notabile hoc fidei opere patefactionem. Sæpè namq; in sacris aliqua dicuntur fieri & impleri, cum facta & impleta evidenter ostenduntur & agnoscuntur, Heb. 1, 4. c. 13, 32. Heb. 11, 17.

Verbum credere longè aliter in v. 23. ac in v. 24. 25. sumitur.

72. Accedit insuper, quòd verbum credere in v. 23. seu fides longè aliter accipiatur in v. 25. ac v. 24. Ibi enim internam seu professam fidem, veluti signarum quodpiam, hîc autem externam seu profitentem fidem, ceu signum in sensus incurvens notat.

73. Ibi fides justificat, ut præter fidem nullum aliud medium ex parte nostrâ in Scripturis tradatur, quod actum justificat-

ificationis ingreditur. Hic autem fides non justificat, sed coram DEO justificatum hominem ostendit. Ibi fides est solitarium, medium justificationis ratione essentia sua spectatum, hic autem fides est parziale medium notificandi justificationis presentiam, & completur, ubi conjunctum est cum operibus, quia per talem συνέρχεται fidei & operum perfecta oritur agnitio justificationis.

74. Nec juvat Pareum prætenso Tmeseos seu dissectionis verborum, quam affert p. 172. Licet enim Jacobus utatur verbis compositis, quæ resolvi possint in præpositionem & simplicis figura verba, ut cap. 2. v. 6. & 13. nec non cap. 4. v. 11. tamen longè alia ratio est in v. 22. verbi συνέρχεται, quod Pareus ita resolvit, ut præpositionem συν non referat ad eam partem propositionis, ad quam pertinet verbum, cum quo erat compositum, nempe ad prædicatum, sed inserat descriptioni subiecti, hoc modo, vides quòd ἡ πίστις, ἡ συν τοῖς ἔργοις αὐτῆς ἔργεται, nempe τὴν δικαίωσιν, fides, cum operibus ejus existens, operata est justificationem.

Τμήσις Parei
in h. l. non
habet locum.

75. Hæc, inquam, ἀναλυσις prorsus diversa est ab eâ, quam modò allata exempla requirunt, ac tmesis verborum compositorum admittit, non quidem incommoda est reliquorū exemplorū resolutio, quæ Pareus affert ex c. 2. cum dicit Apostolus, οἱ πολλοὶ καλαδυνασεύουσιν ἡμῶν, hæc phrasis explicari possit per tmesin δυνασεύουσιν καθ' ἡμῶν, & v. 13. καλαυχᾶται ἐλεγκείσεως, pro καυχᾶται ἐλεγκείσεως. Sic cap. 4. v. 11. μὴ καλαλαεῖτε ἀλλήλων, pro μὴ λαλεῖτε κατ' ἀλλήλων.

76. In hoc autem dicto Jacobi 2. v. 22. nullatenus est de mente Apostoli hæc tmesis, nec Pauli doctrinæ probè convenit, ut vult Pareus.

77. Non priùs, quia Jacobus verbum græcum συνέρχεται accipit de simultaneo concursu fidei externæ & operum, ad ostendendam fidem justificantem & justificationem.

M

78. Ne-

78. Neq̄, posterius, quia Paulus in diss. de justificatione agit de fidei justificantis natura, quatenus justificat. At verò fides non justificat, quatenus est operosa per caritatem, sed quatenus apprehendit meritum Christi.

79. Quid quòd verbum simplex activa vocis non sit in usu ut dici possit ἡγεις, cum praesens activa vocis ἔγεις nullibi repe-

3. Absurditas, *riatur.*

80. Tertium absurdum desumit Pareus ab illatione conclusionis, v. 24. positæ, tanquam ex v. 23. minimè consequentis, quia potius contrarium inferendum fuisset: Videtis ex fide, non ex operibus justificari hominem.

81. Resp. Hec absurditas nostræ explicationi non potest imputari, qui justificationem alio considerandi modo tractaristatimus, quàm quo Paulus eam spectat, tum etiam fidei vocabulum ambiguum esse, & aliter in v. 23. aliter in v. 24.

4. Absurditas: *usurpari demonstravimus.*

82. Quarta denique absurditas deducitur ex v. 25. Si Rahab similiter justificata est, ut Abraham, sequitur, cum dicitur ex operibus justificari per opera intelligendam esse fidem operantem. Ratio hæc est, quia Abrahamo non opera imputata sunt, sed fides, v. 23. At consequens est absurdum. Ergò & antecedens.

83. Resp. Hec absurditas Pontificios feliciter impugnaret, si probare ex Scripturis posset impropria significatio operum pro fide operante, & si Jacobus eodem modo ageret de justificatione, quo Paulus eam considerat, cum ex professo de justificatione differit.

84. Ex nostrâ verò explicatione hæc absurditas inferri nequit, qui fidem in v. 24. non accipimus de fide internâ, & salvificâ, quem significatum infert verbum credere v. 23. in allegatione Mosaii textus positum, & justificationis eandem esse apud Jacobum & Paulum consideratione, Ἀγῶπῆνδν negavimus.


89. Quod!


89. Quod reliquum est in coronide hujus dispu-
tationis suspiramus intimis gemitibus ad divinam
majestatem: Pax sit nobis, & caritas cum fide,
à DEO Patre & Domino nostro JESU CHRI-
STO, Eph. 6. v. 33.

Corrigenda & supplenda.

Cap. I. aph. 2. §. 8. lin. 2. post vocem idè, adde, quia. §. 14. lin. 5. pro cap. 2. leg.
cap. 1. Aph. 4. §. 13. lin. 2. pro confessio, leg. professio. eod. §. lin. 4. pro quia leg. qui.
Cap. III. aph. 1 §. 1. lin. 2. pro faciat, leg. facere. Aph. 3. §. 1. lin. 1. &, deleatur. Aph. 4.
§. 19. lin. 6. pro Rom. 12. leg. Rom. 13. §. 34. lin. 2. pro justificationis, leg. actio-
nis, §. 47. lin. 1. pro caritas, lege fides. Cap. IV. aph. 2. §. 71. lin. ult. hac allegatio.
c. 13. 32. deleatur. Reliqua, praesertim quod ver suum allegationem attinet, benevo-
lus Lector ipse corrigat.

F I N I S.






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Celle 1141

1141

tionem Hominis

coram DEO

DUODECIMA,

Qua

timonostro Ar-

Pontificiorum, ab ex-

& Rahabis, ex cap. 2.

tis, deducta

utitur,

DEO

embr. publicè habenda

ab

HÖPFFNERO,

Prof. Publico, & Fa-

ol. Seniore,

NDENTE

OSLUTERO,

laureo, & Philoso-

lc. Assessore.

SIAE,

müreri & Matthia Götzi.

REGORIUM Nisch/

o 10c XLI.

d. 116

